
Biblioteca
Sormani
Andreani Verri
A. CONALDI - MILANO

AMORIS TRIUMPHUS
IN MEDIOLANENSI METROPOLI
Eminentissimum Archiepiscopum

D. D.

BENEDICTUM
HERBAM ODESCALCUM

XIV. Cal. Septembris MDCCXIV.

PONTIFICALE SOLIUM CAPESSENTEM
SOLEMNITER EXCIPIENTE

Narrabat Dicans Opusculum

Illustrissimis DD.
URBIS PRÆFECTO
ET LX. DECURIONIBUS

INCLYTÆ EJUSDEM CIVITATIS
ATQUE UNIVERSÆ PROVINCIÆ A SECRETIS

J. C. Jo. Augustinus Meda.



MEDIOLANI IN CURIA REGIA.
M D C C X V.
Typis Marci Antonii Pandulphi Malatestæ.

MDCCXV.

URBIS PRÆFECTUS ET LX. DECURIONES

Generale Mediolani Concilium.

Comes Jo. Baptiſta Trottus Urbis Præfectus.
Comes Carolus Borromeus Areſius Eques Aurei Velleris, ex Secretiore Conſilio, ex Caſtellæ Dynaſtis Cæſareus in Sanctiore Conſiſtorio intimus Conſiliarius & plenâ cum poteſtate Univerſæ Italiæ Præfectus.
Marchio Jo. Baptiſta Arcimboldus.
Comes Jo. Baptiſta Nava Landrianus.
Comes Pompejus Caſtillioneus.
Don Joannes Vicecomes Quæſtor & Ducatus Militum Tribunus.
Comes Hieronymus Barbovius J.C.C.
Comes Theodorus Terzagus J.C.C.
Marchio Don Theodorus aliàs Georgius Triultius.
Comes Franciſcus de Abdua.
Comes Franciſcus Ciconea.
Comes Carolus Anguiſſola.
Comes Franciſcus Sormanus ex Secretiore Conſilio.
Comes Jo. Baptiſta Scottus.
Marchio Carolus Franciſcus Vicecomes.
Marchio Don Hiacynthus Orrigonus J.C.C.

Comes

VI.

Comes Carolus Archintus Eques Aurei Velleris.
Comes Antonius Vicecomes.
Marchio Don Gaſpar Antonius Meltius.
Comes Franciſcus Maria Lampugnanus.
Comes Carolus Raſinus Quæſtor.
Don Franciſcus Caſatus.
Comes Benedictus Areſius Quæſtor.
Comes Jo. Baptiſta Pecchius J. C. C.
Comes Jo. Raimundus Marlianus.
Comes Maximilianus Moronus.
Marchio Don Carolus Caſtillioneus Cæſareus Regius Mediolani Senator.
Marchio Cæſar Brippius.
Comes Don Georgius Rainoldus.
Marchio Don Gregorius Roma.
Comes Don Jo. Baptiſta Siccus Borella ex Secretiore Conſilio.
Marchio Alexander Emanuel Siccus de Aragonia.
Comes Federicus Confalonerius.
Marchio Don Franciſcus Menrichius.
Marchio Don Joſeph Corius.
Comes Franciſcus Archintus J. C. C.
Marchio Don Hieronymus Ferrerius.
Comes Don Julius Vicecomes ex Caſtellæ Dynaſtis, Commiſſarius Exercituum Generalis.
Comes Ludovicus Meltius J. C. C.
Marchio Don Jacobus Fagnanus.
Comes Don Joſeph Vicecomes.
Don Joannes Cribellus.
Marchio Soncini Don Joſeph Maria Stampa.

Mar-

Marchio Don Hieronymus de Talentis Florentia de Teves & Corduba ex Præpositis Sacri Cæsarei Cubiculi.
Marchio Aloysius Bimius.
Marchio Don Didacus Ordonius de Rosales.
Marchio Don Carolus Joseph Gallaratus ex Præpositis Sacri Cæsarei Cubiculi.
Comes Nicolaus Maria Vicecomes.
Marchio Petrus Foppa.
Comes Don Guidus Antonius Stampa ex Castellæ Dynastis.
Don Simon Bossius.
Marchio Don Augustinus Orrigonus.
Marchio Camillus Litta.
Marchio Don Carolus Alexander Bussettus.
Don Antonius Petrasancta.
Comes Pyrrhus de Capitaneis ex Præpositis Sacri Cæsarei Cubiculi.
Comes Don Ubertus Maria ab Ortu.
Comes Marcus Antonius Rasinus.
Comes Gaspar Casatus.
Comes Don Gabrius Sorbellonus ex Castellæ Dynastis.
Marchio Scaramucia Vicecomes.



MDCCXIV.

URBIS ÆDILES

TRIBUNAL (Proviſionum vocant) Conſtituentes.

Marchio Hieronymus Parravicinus J.C.C. Urbis Præfectus.
Comes Jo. Baptiſta Trottus J.C.C. Regius Locumtenens.
Julius Cæſar Cribellus J.C.C. Aſſeſſor Senior. } Pro menſibus Januarii, & Februarii.
Rolandus Vicecomes Aſſeſſor Junior. }
Ignatius Carcanus Phyſicus Col.
Marchio Don Carolus Joſeph Gallaratus.
Marchio Jo. Baptiſta Arcimboldus.
Marchio Don Theodorus aliàs Don Georgius Triultius.
Don Franciſcus Maria de Mayno.
Comes Jo. Baptiſta Scottus.
Comes & Eques Don Jo. Anſelmus ab Ortu.
Marchio Carolus Maria Vicecomes.
Marchio Don Joſeph de Abdua uſque ad Cal. Quintil.
Don Gaſpar Lunatus uſque ad Cal. Quintil.
Comes Don Joſeph Maria Ordonius de Roſales in Cal. Quintil.
Comes Petrus Franciſcus Vicecomes Borromeus in Cal. Quintil.
Comes Pompejus Caſtillionæus Judex Viarum Cuſtodiæ Præfectus.
Marchio Don Carolus Alexander Buſſettus Judex in re Annonaria.
Marchio Don Alexander de Putheo Judex in re Lignaria ad Cal. Aprilis.

MDCCXV.

URBIS ÆDILIUM TRIBUNAL.

Comes Jo. Baptiſta Trottus J. C. C. Urbis Præfectus.

Marchio Fabricius Benignus Boſſius J.C.C. Regius Locumtenens.

Comes Jo. Baptiſta Pecchius J. C. C. Aſſeſſor Senior. } menſe Januario & Februario.

Urbanus Vicecomes J. C. C. Aſſeſſor Junior. } menſe Januario & Februario.

Paulus Hieronymus Bimius Phyſicus Col.

Marchio Don Didacus Ordonius de Roſales.

Marchio Don Auguſtinus Orrigonus.

Marchio Don Ubertus Terzagus.

Stator Major Eques Don Joannes Tonſus.

Marchio Carolus Franciſcus Vicecomes.

Comes Ansbertus Confalonerius.

Don Carolus Camillus Trottus.

Comes Don Joſeph Maria Ordonius de Roſales ad Calendas Julias.

Comes Petrus Franciſcus Vicecomes Borromeus ad Cal. Julias.

Comes Jo. Baptiſta Bernardigius in Cal. Juliis.

Don Hieronymus Sovicus in Cal. Juliis.

Marchio Soncini Don Joſeph Maria Stampa Judex Viarum Cuſtodiæ Præfectus.

Comes Jo. Raymundus Marlianus Judex in re Annonaria.

Don Hieronymus Philippus Mirabilia Cribellus Judex in re Lignaria ad Cal. Aprilis.

Illuſ.

Illustrissimis, Præclarissimis, Amplissimis Viris
URBIS PRÆFECTO ET LX. DECURIONIBUS GENERALI MEDIOLANENSIS URBIS CONCILIO.

JO. AUGUSTINUS MEDA
Perennem Felicitatem



MÆcenates, queis scripta nuncupent, quæritare identidèm consueverunt scientiarum Professores, vel ut illorum ineant gratiam, vel acceptas gratias remensuri. Mihi verò præsens opusculum depromere meditanti nullum fuit hujusmodi

modi ſtudium, cum illicò præ oculis ſteterit Celeberrimus Patriæ Senatus, (1) cujus decus hoc eſt, hæc gloria, ut quicquid pacis ac belli artibus eminere poſſit, Mæcenates, Proceres, Heroes, Benignitatem, Prudentiam, Conſtantiam, Integritatem, Fortitudinem, Nobilitatis Virtutumque apicem, Magnifica & mira omnia complectatur. Totidem igitur Inclytæ Metropolis Coryphęis lucubratiunculas meas ſacras facio, quot Præclariſſimi Decuriones cuncti Patriæ Patres ac Servatores (2) honore ac dignitate inſignes (3) ad Civica quæcunque munera à legibus accerſiti (4) Summates atque Optimates (5) in patrio effulgent Conſiſtorio, non gratiam aucupaturus, quià perennem expertus Veſtrum Omnium humanitatem, non grates acturus, hoc quippè officio virium mearum tenuitatem exſuperante. Sanè quo minùs undequaque Conſpicuum Generalis Concilii Nomen operis fronti inſcri-

(1) *Caren. reſol. 224. n. 11.*

(2) *ut in meo legali opuſculo typis edito de juribus Illuſtriſſimi Generalis Concilii n. 87.*

(3) *l. 2. § in filiis & §. fin. l. 6. & l. ult. C. de decur.*

(4) *l. honores 7. ff de decur. l ad ſubeunda & ibi gloſ. C. eod. tit. lib. 10.*

(5) *Philip. diſſert fiſcal. 30. n. 86.*

ſcriberem, efficiebat perſpecta expoſitionis inconcinnitas nitidiſſimis Primatum ſimulque Sapientum oculis non ſubjicienda, quos inter nihil niſi Magnum, Omnia Decoris plena & Majeſtatis. Occurrebat idcircò accomodatum rei documentum. (6) *Inſpicere autem debemus primùm noſmetipſos, deindè eos quorum cauſa, aut cum quibus. Antè omnia neceſſe eſt ſe ipſum æſtimare, quia ferè plus nobis videmur poſſe quàm poſſimus,* & infrà, *Æſtimanda ſunt deinde ipſa quæ aggredimur, & vires noſtræ cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparandæ, debet enim ſemper plus eſſe virium in actore quàm in pondere.* Animum quoque ſubibat, & menti obverſabatur eximia digniſſimi Vrbis Præfecti Comitis Trotti literatura, quem, raro juventutis exemplo, virtutes omnes, profuſa naturæ ac ſortis munera oſtentant, quem imitari non aſſequi potis ſit, quem lynceum perſpectorem nihil latere poſſit aut fallere. Abſtulit tamen quamcunque dubi-

(6) *Senec. de tranquil. vitæ lib. 1. cap. 4. & 5.*

tationem ſumma benignitas veſtra, tum verò deſpondentis animum erexit ipſiuſmet operis argumentum, turgidos inter meritòque ſuperbientes Conſpicuis Ampliſſimi hujus Ordinis Monumentis Mediolanenſes Annales referendum ad rei memoriam ſempiternam. Perennabit locupletiſſimum Religionis veſtræ teſtimonium, & in omne ævum prædicabilis AMORIS TRIVMPHVS, quo Romanæ proximam Ambroſianam Sedem Honorificentiſſimam recolentes, Optatiſſimum Meritiſſimumque Purpuratum Hierarcham hilari æquè Pompa atque Obſequio excepiſtis. Non in auro cælata (ut apud Poetam (7)) fortia Patriæ Patrum facta referimus, ſed ad longiorem perpetuamque recordationem Glorioſum filialis AMORIS TRIVMPHVM literis commendamus. Mediolanenſis Metropolis, ideſt Veſtram Amplitudinem, Magnificentiam, Gloriam, Tanti Cardinalis, Tanti

(7) Æneid. lib. 1.

ti Archiantiſtitis Virtutes, Decora, Majeſtatem non ſatis erat materno ſermone perſtringi, ſed ubique terrarum & gentium celebrato latino idiomate viſum eſt memorabilia omnia uſquequaque eſſe circumferenda. Quod Veſtrum eſt Vobis offero Mæcenates Ampliſſimi, ſcribendi materiem, ſcripta, & multis nominibus devinctum ſcriptorem, ac velùti æs alienum venerabundus perſolvo. Ex diplomatica Generalis Mediolani Concilii Proaula VII. Cal. Iun. MDCCXV.

AD LECTOREM.





Irabitur fortasse quispiam, quòd Eminentissimi Archiantistis delectum ac solemnem ingressum latia lingua exponere visum fuerit, cum luculentæ hujusmodi narrationes Vernaculo in præteritum sermone prodierint non sine plausu et commendatione. Neque deerunt qui non vulgaris idiomatis detrectent usum, plurimis quippe invii ac reconditi, cum patrius AMORIS TRIUMPHUS *ea potiùs lingua vulgandus foret, quæ omnes æqualiter nostrates alloqueretur. Accedet inconcinnæ impolitæque dictionis animadversio, tum verò quòd numeris omnibus absoluta non sit, minimè servato decessorum more, qui cæremonias ritusque omnes, ac singulos, modici licet momenti, successus quàm diligentissimè retulerunt. Neque ignoro id eventurum, quod dicere consuevimus de ædibus*

bus ad forum extructis, ut aliis editiores, humiliores aliis videantur. Sane perspecta hæc habui priusquam operi admoverem manum non inscius censuræ, cui qualescunque labores meos subjicerem, imparisque viribus meis oneris etsi re ipsa non formidandi. Mihi enimverò haùd intermissis occupationibus districto, ut ne punctum quidem temporis vacet, vix superesse poterat spes quicquam amænioris literaturæ perficiendi intrà paucos dies, quos tempore autumnalium vacationum jugiter ingruentibus rerum momentis subtraherem. Vt enim quibusvis publica munera obeuntibus, perindè mihi potissimùm probari contingit Philosophi moralis effatum. (*1*) Est inter honorem & onus non tam allusio vocis; quam rei ipsius expressa veritas, quippe ex onere venit honos, aut potiùs ex honore onus. *Maximum non negaverim decus Publicorum Scriniorum Magistri, Proximis Præpositi, Vrbicis Cœtibus, tum verò Generalibus Inclytæ Civitatis atque Vniversi Mediolanensis Dominii Comitiis intervenientis, ad secretiora, ad graviora quæque adsciti, Publicumque*

(1) *Quod multifariam exornat P. Gregor. Rosignol in suo tract. cui tit. il buon pensiero par. 2. cap. 7.*

Am-

Amplissimum Nomen ad Sanctam Sedem, ad Augustissimum Culmen, ad Principes, ad Tribunalia cuncta deferentis: hujusmodi propterea Administros ad Sacra Penetralia evectos à Secretis nuncupatos, esse de Concilio, atque Illustri & Spectabili titulo, aliisque ubique gentium laudibus honestari compertum est; (2) Sed hoc ipsum quanti ponderis sit, & quàm arduum, mihi præsertim facundiæ doctrinæque inopia laboranti, nemo est qui non noverit. Ad hæc; obvia fiebat expositionis difficultas, quam in plures, easque minutulas, ac sæpe in idem cadentes narratiunculas distributam ægrè patitur latinæ linguæ majestas & stylus, utcunquè vulgari elocutioni minimè incongruentem. Re tamen seriò perpensa, ipsummet idioma, quo scribere institui, in causa fuit, ut prævisos quoscunque obices intrepidè superaverim, quippe qui noveram honestissimum suavissimumque illud esse quasi pabulum doctrina præstantium ac sapientia, quos vel sperare valeam existimationis meæ vindices atque assertores, vel æquo animo feram ac diligam, si mendas meas perfectissimo obelo dispungere

(2) l. un. C. de magistr. sacr scrin. & in tit. Cod de prox. sacr. scrin lib. 12. Cassan. in Catal. glor. mun. par. 6. consid. 9 par. 7. consid. 16. late, Amaya in l si quis procurationem nu. 37. & seqq. C. de decur. lib. 10. Sadarin. respons. 15. n 48. & seqq. apud quos plures alii.


non

non dedignentur. Præterquamquòd singulari quadam vi atque energia breviter feliciterque fluit latinus sermo, ut nihil desit, nihil redundet, ego maximè operam impendi, ut quæ plures paginas, aliis narrantibus, impleverint, contracto (utinàm tibi accepto) laconismo perstringerem, ne prolixa eademque incomposita atque inelegans oratio tædium lectionis afferret. Si quid omissum ex multiplici rituum serie, indulgendum erit levidensi subitariæ texturæ, præsertim cum præcipua quæque collegisse autumem, quod attinet ad Generalis Concilii provisus, ad solemnis Triumphi Magnificentiam, ad urbana officia, ad deductionis modum, ad Cardinalis Archiepiscopi, Splendidæque ejus Prosapiæ Dignitatem atque Amplitudinem, feliciùs tamen uberiusque memoratam ab Eruditissimo ac de re literaria non secus atque de Inclyta hac Civitate optimè merito Nobili I.C. et Advocato Iohanne de Sitonis de Scotia (3): Si labor meus probetur, tuæ, humanissime Lector, tribuam benignitati, sin minùs, hoc quoque mihi accedet inscitiæ meæ testimonium.

(3) in Chronica Synopsi Herbensis familiæ & in Monum. Vicecom. impressis post elenchum familiarum editum ab Ornatissimo Viro Egr. Syndico Fiscali Generali Benal. atque in historia Archiep. Medi.l edita à doctissimo Viro Ven. Johanne Joseph Valiano.

Qui





Ui Amplissimos secundæ hujus Romæ Hierarcas ad Metropolitanam Sedem adventantes sedula exceperunt narratione, ab ipsorum Pontificum vel avita nobilitate, vel rebus egregiè gestis, vel ab Inclytæ Civitatis magnitudine sumpserunt exordium. Mihi verò solemnem Eminentissimi D. D. Cardinalis Archiepiscopi Benedicti Herbæ Odescalchi ingressum exponere meditanti, cum in unum collecta occurrant quotquot in pluribus celebrata fuerint aut prædicari possint encomia, ipsamet rerum copia dicendi facit inopiam, atque ut lucidissimis Solis radiis perstricta oculorum acies hebetatur, perindè mira omnia uno in Principe complectens stupet ingenium. Præripuit quoque dicendi laborem simulque gloriam

insigne Comitum & Equitum Jurisperitorum Mediolanense Collegium, nec non Hermathenaica Celeberrimi Ambrosiani Seminarii Academia: Nobilitatis virtutisque splendorem in Purpurato tanquàm in capitolino sapientiæ clivo illud expressit qua die ipsum Eminentissimum Collegam solemni ritu inaugurans cùm raras illius animi dotes, virtutes, munera, dignitates, tùm nobilissimam majorum seriem longo numismatum ordine atque epigraphycis in tabulis commonstravit, ut appareret unius animum plurium capere fortunam & diffusos clarissimi sanguinis rivos in unum confluere supra omnes admirationem promeritum. Panegyrica tunc Oratione Eruditissimus Abbas Ermes Redenascus laudavit quem elegantissimo prius epicheremate commendaverat undequaque Clarissimus Regius apud Civicos hujus Metropolis Cætus LocumTenens Comes Jo. Baptista Trottus Eminentissimi cooptati Affinis eamque in rem procurator, sanè dignus, qui præ cæteris à Sapientissimo Principe eligeretur ut ejus majestatem in se ipso exhiberet, utroque & generis & virtutum radiis coruscante, & gloriosum ab superata ætate trophæum iuvenili robore, senili cura gestante.

Pana-

Panathenaicam gratulationem cumulatiſſimè explevit Clericorum Seminarium, literatorum ſeges, Ambroſianæ decus Eccleſiæ, Diæceſis gloria, ut & ſanctiſſimi ſui inſtitutoris Divi Caroli Borromei recolendam effigiem referret in optimo ſucceſſore, & avitam hujus nobilitatem, virtutem, merita cuicunque licèt laudationi ſupereminentia exornaret. Cumque & famigeratæ Metropolis, & Ampliſſimæ Diæceſis laudes collegerit Egr. aliàs Urbanus à Secretis Parravicinus Eminentiſſimum claræ memoriæ Archipræſulem Cacciam ad ſuam ſedem deductum ornatiſſima narratione complectens; Inanis propterea videri poteſt qualiſcunque jam celebratæ rei expoſitio, idque unum ſupereſſe ut poſt publicas lacrymas queis vita functo Eminentiſſimo perennis recordationis deceſſori Archinto Civitas parentavit prodeat AMORIS TRIUMPHUS quo amplexa eſt Purpuratum Herbam Odeſcalcum optatiſſimum ſucceſſorem.

Inſignes amiſſi Parentis Optimi dotes probaverat acerbiſſimus Civium dolor, & tanta jactura omnes & omnia triſti mærore compleverat. Avitæ nobilitatis amplitudo, Pietas, Prudentia, Doctrina, Conſtantia, Decorâ auctoritate Regi-

men illuſtrantis, divinum cultum adaugentis, Diæceſim moderantis, populos erudientis, adverſa quæque vincentis occurrebant oculis. Renovato ad felicem ſimulque lugubrem recordationem ploratu, cum in Principe Urbis templo triſtitiæ theatrum referente, ſublimi Cænotaphio feralibus circumquaque tædis radiante, diſertiſſimo Oratore Ambroſiani Seminarii Præfecto Jo. Baptiſta Sutio pro ſuggeſtu laudante, funebribus defuncti ejuſque majorum imaginibus, tùm verò inſcriptionibus, emblematis, ſymbolis omnia ſacro horrore conſpicua referentibus, luctuosâ pompâ & regio apparatu piis manibus juſta perſolverentur.

Quod afflictiſſimam Civitatem ſolaretur nonniſi ſperari poterat à Divina munificentia, ejuſque Vicaria in terris Poteſtate. Scilicèt is ſuperis labor fuiſſe præcipuus videbatur, ut Pontificalem Mediolanenſem Sedem ampliſſimam digniſſimo quoque decorarent, quam tot Sanctiſſimi Præſules veluti cælo demiſſi, & cælo redditi illuſtrarunt.

Convocato igitur Generali Civitatis Concilio, perſpectâque anteactorum temporum in hujuſmodi eventibus obſervantiâ in eam ventum ſen-

ſententiam ut ex illius Cætu Legatus extrà ordinem ad Vaticanum Solium mitteretur, qui viduatam Eccleſiam recreari patritio Antiſtite exoraret. Delectus ad id munus Comes Jo. Baptiſta Siccus Borella, quem tantæ rei parem generis fulgor, virtutes, merita commendabant.
„ Iret ad Urbem quantò ocyùs; Ageret cum
„ Cæſareo penès Apoſtolicam Sedem Legato,
„ cum Benevolis Purpuratis; Ad Sanctiſſimos
„ Pedes procumberet ſupplicem exhibens Ci-
„ vitatem; Publica panderet vota ſufficiendi
„ Archiantiſtitis ex ordine Civitatis patritio,
„ aliaque exponeret fidei ſuæ commiſſa, queis
„ annuere Pontifex Omnium Maximus digna-
„ retur. „ Moræ tamen itineri huic neceſſariæ impatientes Proceres Sanctiſſimo Culmini, Eminentiſſimo Pontificii Status à Secretis Paulucio, Excellentiſſimo Cæſareo Legato Marchioni Prienſi veredarii celeritate prænuntiari omnia feſtinarunt, expoſitis Poteſtati Maximæ precibus filiali epiſtola exaratis.

BEATISSIME PATER.

CVm Ecclesia Mediolanensis Eminentissimi Cardinalis Iosephi Archinti obitu, Antistite Optimo, ac Parente suo Viduata sit, Proceres, Populusque Vrbis ejusdem, qui amissi Pastoris Vigilantiam, Zelum, cæterasque eximias Dotes commendare non desinent, se se ad Beatitudinis Vestræ Solium humilimè sistunt enixè exorantes, ut prò ea qua Vniversum Dei Gregem, & hanc præsertim Vrbem benignitate complectitur, communi mærori lenimentum afferat, novique Antistitis electione, qui pariter sit Civis, jacturam, Sapienter, ut assolet, ac benevolè restauret. Delectus propterea de Cœtu nostro Comes Io. Baptista Siccus Borella ad istam Sanctitatis, ac Orthodoxæ Religionis Principem Sedem quantocyus accedens, spem simul, precesque nostras humilimè significabit. Interea nos ad Sanctissimos B. V. Pedes advoluti paternam Benedictionem postulamus, eidemque diuturnam ac bonis omnibus cumulatam Vitam precamur.

Mediolani 2. Aprilis 1712.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi, et Obsequentissimi Servi
Vrbis Præfectus, et Sexaginta Decuriones
Concilii Generalis Civitatis Mediol.

Sin-

Singulis epiſtolis à Ven. P. Cæleſtino Tieſſen univerſi Minorum Conventualium Ordinis Procomiſſario traditis gratiſſima prodierunt reſponſa, à Vaticano præſertim faſtigio hiſce verbis.

CLEMENS PP. XI.

DIlecti Filii ſalutem, et Apoſtolicam Benedictionem. Quo par erat triſtitiæ ſenſu excepimus literas veſtras Cardinalis Archinti Archiepiſcopi veſtri obitum juſtà cum doloris ſignificatione nuntiantes: Eum ſiquidem ob multiplices atque præſtantes, quibus præditus erat, virtutes, dileximus omni tempore plurimùm. Quod ad Succeſſorem attinet perſuaſum Vobis eſſe volumus, Nos pro muneris noſtri debito accuratam in eo deligendo utilitatis dignitatiſque iſtius ampliſſimæ Eccleſiæ rationem habituros. Gratus interea, acceptuſque nobis admodùm erit adventus dilecti Filii Comitis Io. Baptiſtæ Sicciborellæ, quem ea de re ad Nos allegare decreviſtis, ac libenter, quæcunque ſe dederint, occaſiones amplectemur propenſum noſtrum multis nominibus erga Vos, et inſignem iſtam Civitatem animum declarandi, cujus

ſoli-

ſolidum argumentum Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxi. Aprilis MDCCXII. Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

Firm. I. C. Battellus.

A tergo. Dilectis Filiis Præfecto, & Sexaginta Decurionibus Concilii Generalis Civitatis Mediolani. Et ſigillat. &c.

Deſignato Oratori traditæ confeſtim literæ delectus fidem facientes, ad Vaticanum præſertim Solium in hæc verba.

BEATISSIME PATER.

QVem Sanctitas Veſtra Sacris Pedibus advolutum viderit, Comes eſt Io. Baptiſta Siccus Borella Concivis, et Orator noſter. Is, Procerum, Populique Mediolanenſis nomine, Archiepiſcopi Sedem conferri in alterum ex Patriciis noſtris, in quo non minus Pietas, et Religio, quàm tantæ Eccleſiæ dignitas atque amor, & decus Patri refulgeant, ſubmiſsè poſtulabit: Propterea quemadmodum Sanctitatem Veſtram, ut Oratorem noſtrum Clementer excipiat humilimè deprecamur,

ita

ita optimam, quam cupimus, electionem ab Optimo, et Maximo Vniversi Catholici Orbis dignissimo Antistite expectantes, affusi ad hoc Sanctissimum Divi Petri Solium Apostolicam Benedictionem à Beatitudine Vestra humilima supplicatione exposcimus. Mediolani die 4. Maji 1712.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi, et Obsequentissimi Servi

Vrbis Præfectus, & Sexaginta Decuriones

Concilii Generalis Civitatis Mediol.

Civitas iis identidem moderatoribus infulatis assueta, qui numinum vices retulissent dum viverent, mox vera numina cælo reddita colerentur hujusmodi adventantis sortis ferè præscia lætabatur humanissima & spei & Apostolicæ Benedictionis pagina. Effusa in preces templa venerari, sistere ad aras, solemnes instituere supplicationes, Populum in agmen pietatis cogere, propositis jubente Tribunali Provisionum edictis, queis Cives ad implorandum à Superis Sanctissimum Antistitem accerserentur.

Legationis munus obire properans Comes V. Idus Maji MDCCXII. iter aggressus, comitantibus, quos è conspicuo nobilium ordine tanti decoris Socios accersiverat, Equite Hieroso-

lymitano Guido Antonio Arcimboldo, Comite Georgio Rainoldo, & Abbate Joseph Maria Marliano xiii. Kal. Junii, decimo ab Urbe lapide obviam Cæsarei Legati sejugam conscendens, atque ad bina passuum millia pluribus patrii soli Nobilibus, qui in Urbe degerent, occurrentibus, intrà mænia ad Excellentissimi Legati ædes commissa nocte deductus publicas in legationis testimonium literas, & preces pandidit officiosissimè exceptus, eaque animi alacritate, quæ expetito promptum tutamini Magnatem patefacerent.

Indè ad paratos sibi lares digressum cum nobilibus contubernio adscitis aulica, explendique muneris officia ad dies aliquot detinuerunt. Die legationi indictâ Inclytum Mediolanensis Metropolis Nomen ostentavit stemma coccineam referens in albo Crucem supereminentibus Pontificiis atque Augustissimæ Domus insignibus suprà fores Palatii, quod temporario incolatu Comes Orator decorabat. Præsto aderant nobiles Concives quotquot maximi numeri & momenti Pontificium apud solium demerebant. Splendido luxu renidebat ab Oratore instructum famulorum agmen, æmulante rubram

bram patriæ Civitatis Tesseram colore vestium, quas textilis argenti, viridisque holoserici gausapini tæniæ discriminabant. Miserat Cæsarianus ex suo famulatu nonnullos, totidemque rhædas, quot Comes Orator eleganti forma constructas paraverat ad ternum numerum nigris lemniscis ab equorum cervice pendentibus. Convenerant missi à Purpuratis, Toparchis, Legatis, Proceribus aulici complures bigis insidentes; Compositoque in majestatis speciem venustissimo Comitatu præcessit ad Vaticanam Sedem pridiè Non. Quintiles ponè gestatis umbella & culcitra ex bombycina endromide auro internitente; Ense, pileo, chyrothecis Dynastarum more fulgens, Cæsariano, qui ad Beatissimum Tronum pridem sistebat, initiante, sanctissimos pedes osculatus dicturus erat, cum ad Perhumani simulque Divini in terris Vicarii nutum assurgens effatus est; „ Subducto ab hac
„ luce Cardinale Archinto desiderari Mediola-
„ nensem Archiepiscopum; Esse è re Ambro-
„ sianæ Ecclesiæ, uti succederet non absimilis
„ decessori & virtutum & patricia dignitate;
„ Id à Vaticano Cælo venerabundam precari
„ Civitatem, quam constantissimum ergà Apo-

„ ſtolicam & Ambroſianam Sedem obſequium
„ facilè commendaret. Reſponſum à Divino
„ Oraculo; Perjucundum ſibi eſſe quod pete-
„ retur; Non latere tantæ Eccleſiæ, tantæ Me-
„ tropolis devotionem, pietatem, amplitudi-
„ nem. Se apud Deum Opt. Max. preces non
„ intermiſſurum, ut cordi indicaret, quem be-
„ nemeritæ Civitati decerneret, vivum exem-
„ plum Divi Caroli Glorioſiſſimi Anteceſſoris.
Hilari animo dimiſſum Comitem alia manebant officia ergà Sacrum Purpuratorum Senatum, Cæſareum Legatum, Magnates, Præſules, Proceres, quibus inviſendis, viciſſimque excipiendis plures cum præteriiſſent dies, repetito ſubindè ſanctiſſimorum pedum oſculo, levibus nephritici morbi commotiunculis afflictus jacuit.

Quùm decumbentem conſalutarent vel ſalutatum mitterent Legati, Præſules, Urbis Principes, & vel ipſe Supremus omnium Princeps, ægritudinem, poſtridiè ejus diei quo inceſſerat lenivit epiſtolium altera noctis hora miſſum ab Eminentiſſimo Paulucio xv. Kal. Septembris delectum ad Mediolanenſes infulas Benedictum Præſulem Herbam Odeſcalcum nunciante. In-

tem-

tempestâ eadem nocte expeditus à solicito Oratore cursor literis ad patrios Decuriones de felicissimo rei eventu perscriptis. Primo mane, certiores ab eo facti qui solemnem ad Pontificios pedes accessum asseclæ concelebraverant. Huic alterique nocti diurno æmulus obluctatus fuit splendor, cereis fanalibus, ignitisque ex composito cadiscis ad Palatii frontispicium, non uno ordine collucentibus. Hæc apud Romicolas ad lætitiam, ad ostentationem prodibant, usquedùm Roma altera & gaudio & pompa præemineret.

XI. Kal. Septembris Generali illius Concilio renunciata optatissimi, quemuè eximia merita præmonstraverant, Archiflaminis inauguratio: eo gestientium plausu, ut haùd facilè appareret verius nè Amplissimæ dignitatis decus acceptum referrent Metropoli, an Metropolitano. Ut Deo, ut illius in terrarum Orbe Vicesgerenti grates & obsequia præstarentur: ut cælitùs datum Ambrosianæ Ecclesiæ Luminare indicarent terrestres faculæ: ut evecti Patricii celebritas, ut publicum gaudium solemni more panderetur, demandata Tribunali Provisiònum cura. Promulgata ideò hoc jubente edicta Patricii promotionem,

nem, Metropolis gloriam, omnium lætitiam, plausum, acclamationem circumferentia. Prima quaque noctis vigilia VI. & V. Kal. Septembris ad singulas Civicarum ædium fenestras splenderent lumina. Notum foret III. Kal. ejusdem mensis solemniter litandum in Templo Basilico Divi Ambrosii. E re futurum, si illùc, ubi Deo tanti Præsulis largitori grates persolverentur, Populus conveniret. Adessent opifices ac sellularii suis in singula Collegia gestatis insignibus. Nulla eo temporis intervallo pateret officina, decem aureis exlege mulctando.

Peractum subindè in splendidè ornato Templo, Tribunali Provisionum, Opificum manu, frequenti Populo interveniente, sacrificium, lectissimis musicorum choris suavissimas voces modulantibus, ac pyrio pulvere in area contermina crepitante.

Statis quoque horis vicatim relucente jussis faculis Civitate, funalibus & tædis circumquaque Decurionum Senaculo, læto ibi clangore, tympanorumque pulsu, universo item campano ære tinnulis concentibus lætum obstrepente, ac repetita secùs propyleum cùm Templi maximi tùm Civici Palatii scloporum explosione emer-

emersit, ut minimum, quæ Civium animos profusa hilaritas occupabat. Publicum suo quoque plausu æmulati Generalis sede vacante Vicarius, ac rei templariæ Præfecti non defuere studio & solicitudine. Hi ut ignes mira arte elaborati una atque altera & tertia nocte ad Principis ejusdem Templi frontem splenderent, ille ut sacræ turres sonoris vocibus rumperent noctium earundem silentia; procederent ordinatim IV. Kal. Septembris suis quique amictibus sacris à maximo ad Divi Ambrosii Fanum Clerici, Cænobitæ, sodales pii; fierent solemni ritu in cunctis Urbis & Diæcesis Ecclesiis Augustissima sacrificia, & triumphali hymno canerentur Divinæ laudes.

Didita rei fama, quot homines, tot epidictici laudatores & Dei & ejus Vicariæ in terris Clementiæ, quæ Mediolanensi Ecclesiæ uno in infulato splendidissimum lumen, gratiarum Oceanum superfudisset; Ut antiquum fuerit vaticinium Romanos nunquam Vejos capturos, ni ex Albano lacu aqua priùs demitteretur, perindè, quo auctore tantum Præsulem Mediolanenses assequerentur, regnare in solio omnium maximo debuisse ALBANUM.

Cernere erat audireque exultim colloquentes,

tes, qualis & quantus ſoli patrii decor in Mediolanenſi Nobilium Collegio, exindè in Romano Seminario humaniores literas, Rhetoricam facultatem, & Philoſophicam ſcientiam apprimè didiciſſet, mox patriis laribus reſtitutus theologicas theſes enodantem eruditiſſimum omnique virtutum & ſcientiarum apice eminentem Franciſcum Saxium tunc in Mediolanenſi Seminario ſtudiis Præfectum exindè florentiſſimæ SS. Ambroſii & Caroli Oblatorum Congregationis Præpoſitum Generalem, nunc inter primarios Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicos cooptatum maximo & ſuprà ætatem profectu audiviſſet; Ut ad Urbem reverſus ibi Advocationis, dehinc Ferrariæ & Bononiæ Prolegati, poſtremò apud Poloniæ Regem Nuncii munere, Theſſalonicenſis quoquè Eccleſiæ faſtigio, ſimulque familiari Odeſcalchæ gentis nomine Divinæ in terrarum Orbe vocis Oraculo in frequenti Purpuratorum conventu juvenis decoratus ad patriæ Pontificatum quàm celerrimè perveniſſet. Ad naturæ etiam munera, gentis nobilitatem, ſermone converſo, memorabant aliqui illius Avum, & ſanguinis nitore, & ſororii Summi Pontificis Innocentii XI. affinitate clariſ-

ſimum

ſimum Alexandrum, alii Hieronymum Proavum paternum, qui Potentiſſimo Hiſpaniarum Regi Catholico Philippo IV. Novocomenſem Civitatem fidelitatis juramento delectus ad id Nuncius obſtrinxiſſet, alii arci Turris rotundæ Præfectum Auguſtinum Tritavum, alii Mediolanenſis Reipublicæ Decurionem Donatum Herbam ipſius Tritavi Proavum, Joannolum Herbam alii, qui primum in aula Mediolani Ducis Bernabovis Vicecomitis tenuiſſet locum; Ad memoriam revocabantur quà Henricus Herba à teterrimo Mediolani everſore Ænobarbo primis honoribus exceptus, vincentibus Henrici virtutibus trucem animum victoris, qui fortiſſimos ſuperaverat, qua Joachin Herba inter Metropolis Decuriones, Cenſorque Ducalium Adminiſtrorum, quà item Mediolanenſis Decurio natus paci inter Pontificem Maximum Benedictum IX. & patriam Eccleſiaſticis diris impetitam conciliandæ Jacobus Herba, quà Joannes Ducalis Prætor Vulturenis Præfectus, quà Divo Carolo Borromeo ut Sanctitate ità mutuo amore conjunctus Benedictus Herba Epiſcopus Caſalenſis. Extollebatur patriciæ domus fulgor à Friderico I. Imperatore, à Mediolani Ducibus

Galeatio Maria & Philippo, à Catholicis Monarchis Augustissimis Carolo II. & III., à Sanctissimis Pio V. & Clemente IX. Toparchiis & Aquila insignitæ. Tum verò non animis modo longa majorum series, sed plurium oculis propè obversabatur quasi adhùc viveret, quem diligentes & venerabundi suspexerant, dignus tanto filio parens Excellentissimus in Supremo rerum Italicarum Consessu Regens Antonius Maria Herba eximiæ literaturæ, probatissimæ virtutis, jurisprudentiæ, religionis, pietatis, integritatis vir, ore, corpore, incessu gravis socia comitate, inter prætextatos patriæ patres conscriptus, Regi Domino, Senatui, Patriciis, Plebi, Populo, nostratibus, alienigenis acceptissimus. Recens colebatur memoria Gloriosissimi in terris, dehinc inter Cæli Indigetes Innocentii XI. qui immortali rerum gestarum & sanctitatis fama publica monumenta, atque universum terrarum Orbem implevit. Unus omnium sermo erat meritissimum Archipræsulem ad majora quæque evasurum, qui à regnante inter Cælites Proavunculo Innocentiam, à Deum in terris exhibente Tiara Clementiam, ab utroque religionem, pietatem, sanctimoniam,

æqua-

æquanimitatem, ſapientiam, liberalitatem virtutum exemplo retuliſſet; Hunc plura ſibi poſcere faſtigia, hunc expectari à Purpurati Ordinis gradu ad ſublimiora.

Qui certiſſimo judicio & Divinæ mentis Oraculo vigilantiſſimum Paſtorem Mediolanenſi ovili præfecerat Sanctiſſimus, omnique ævo hoc etiam memorabilis Pontifex Clemens XI. ſingulare Civitatis gaudium paterna & ipſe hilaritate acceperat à gratulabundis per haſce literas Decurionibus.

BEATISSIME PATER.

BEnedictum Herbam Odeſcalcum Civem, Patriciumque noſtrum, ac Nuntium Apoſtolicum apud Regem Polonum annuentibus Superis, et Beatitudinis Veſtræ ſuffragio habemus Antiſtitem. Quid polliceri ſibi ab eo poſſit hæc Mediolanenſis Eccleſia, nomen ipſum demonſtrat, quod Univerſo Catholico Orbi gratiſſimum, Inſubriæ honorificentiſſimum et in Poſterorum animo immortale pia Sanctiſſimi PP. Innocentii Vndecimi recordatio effecit. Quamquam, non hoc tantùm omine opus eſt, ut ſpem validam concipiamus, cum eo donati

ſimus quem amantiſſimus Parens, et Religionis Tutor Vigilantiſſimus Digniſſimum exiſtimavit, ut dilecto huic Gregi Cuſtos præficeretur. Reliquum eſt ut prò collato beneficio grates Beatitudini Veſtræ ſi pares reddere non valemus, ſaltem ter maximas deberi profiteamur, dum ad ejuſdem Beatitudinis Veſtræ devoluti Sanctiſs. Pedes Apoſtolicam Benedictionem humilimè poſtulamus.

Mediolani die 24. Augusti 1712.

Sanctitatis Veſtræ

Humilimi, et Obſequentiſſimi Servi
Urbis Præfectus, & Sexaginta Decuriones
Concilii Generalis Civitatis Mediol.

Amantiſſimi Patris parem nomini Clementiam æque in reſponſo ac in honore collato expertum fuit Generale Concilium.

CLEMENS PP. XI.

Dilecti Filii ſalutem, et Apoſtolicam Benedictionem. Proſperum, ac felix ampliſſimæ Mediolanenſis Eccleſiæ Regimen Nobis unicè propoſuimus, ubi ad ipſam Venerab. Fratrem Benedictum Archiepiſcopum Theſſalonicenſem transferre decrevimus, ea videlicet ſpe in Domino freti,

ut

ut qui illustria pietatis, doctrinæ, atque prudentiæ hactenùs edidit argumenta, eximia quoque zeli, ac vigilantiæ specimina in obeundo isthìc Pastorali munere præbere non intermittat, adeòque se piæ memoriæ Innocentium Vndecimum de Christiana Republica optimè meritum non minus nominis similitudine, et sanguinis propinquitate, quàm virtutum præstantia, & fulgore contingere testatum faciat. Cæterùm gaudii ea de re à vobis suscepti testimonium, quod literis vestris filialis obsequii plenis ad nos detulistis, perlibenter excepimus, nec planè veremur, quin eidem Animarum vestrarum Pastori omni ope, ac studio adfuturi sitis, ut ministerium suum quàm cumulatissimè implere possit. Neque enim quidquam Deo gratius, acceptiusque fieri à Vobis potest, quàm si debita illi reverentia, ac obedientia tribuatur, quem ipse mediatorem inter se, ac Populum constituit, & cujus dignitatem, atque honorem non secus, ac suum Zelatur: Et Vobis, Dilecti Filii, paternæ charitatis testem Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die x. Septembris MDCCXII. Pontificatus nostri Anno duodecimo.

Subscr. I. C. Battellus.

A tergo. Dilectis Filiis Præfecto, et Sexaginta Decurionibus Concilii Generalis Civitatis Mediolanensis.
Et sigillat. &c.

Romani, Ambrosianique Pontificis unam esse mentem vel indè emerserat, quod utriusque uno tempore cogitatio ad Mediolanensem Metropolim collimaverat. Eâdem IV. Idus Septembris exaratæ à Varsaviæ degente Archiantistite literæ Urbis Præfecto, & LX. Decurionibus; „ Ad decus quo honestaretur utpotè
„ Nobilissimæ Civitatis Patricius, ad benigni-
„ tatis officia, queis Genti suæ Inclyta Patria
„ nunquam defuisset, referri uti sibi collatam à
„ Sanctissimo Archiepiscopalem in hac Metro-
„ poli dignitatem nunciaret Generali Conci-
„ lio; Se non uno Civitati addictum jure &
„ sanguinis, & muneris, & secùm habitæ offi-
„ ciositatis, natura Concivem, Divina munifi-
„ centia Archiepiscopum, benigno studio ex-
„ cultum ità effecturum, ut tot nominibus de-
„ vincti animus amore patris, observantia filii
„ ad publicæ rei incrementum promptissima
„ responderet alacritate, neque dubitare (proh
„ decora humanissimi Atlantis modestia!)

„ quin

„ quin imbecilles ejus vires valido Decurio-
„ num robore fulcirentur.

Responsum est à Procerum Cætu; „ Cumu-
„ latissimum gaudium, quod optatissimo deco-
„ ratos Archiepiscopo tenuisset, nulla eos epi-
„ stola, nulla posse oratione complecti. Maxi-
„ mum id munus Sanctissimi patriis infulis Ci-
„ vitatis filium, infulato filio Civitatem donan-
„ tis, ac Mediolanensem Ecclesiam conspicuo
„ Beatissimi perennis memoriæ Innocentii XI.
„ consanguineo illustrantis. Nomen, mores,
„ virtutes Gloriosissimi magni Avunculi in Præ-
„ clarissimo Antistite certam spem facere,
„ hujus in Ambrosiana Ecclesia parem fore
„ gloriam, quæ illius Romanam moderantis
„ fuisset. Eidem, & sibi metipsis gratulari feli-
„ ces naturæ dono Concives, venerationem
„ profiteri, altiora vaticinari fastigia, assiduas-
„ que ad superos in id preces effundere. Civi-
„ tatem, quod in rem Præsulis ejusque familiæ
„ officiosa extitisset, nihil videri promeritam,
„ cum majora deberent Concives Patriciæ Gen-
„ tis nobilitati, virtuti, morum suavitati. Nil
„ magis optari quàm ad Ecclesiam, ad Urbem
„ patriam adventum dilectissimi Sponsi, Filii,

„ Pa-

„ Paſtoris, ac Patris, quem avidiſſimè opperi-
„ rentur filiale obſequium teſtaturi coram.

Non unius tamen Civitatis gaudio natus erat quem omnia naturæ munera, omnes virtutum apices omnibus commendabant. Referebatur ad Romanum Purpuratorum Senatum ſplendidiſſima quæque præſeferentem, nè ſola Ambroſiana Eccleſia tanto lumine coruſcaret. Sacro murice, quem D. Carolus decoraverat, grave erat carere conſimilem, Divino Supremi Pontificis judicio, ſucceſſorem. Promoto igitur III. Kal. Februarii MDCCXIII. ad Eminentiſſimum faſtigium Archipræſule emicuit Romanæ & patriæ Urbis par gaudium, hoc uno diſpar, quod illa non naturæ ſed ſortis, utriuſque hæc beneficentiâ exultaret. Non expectata, quam Purpuratus ipſe deceſſorum more tranſmitteret, collati honoris notitia Metropoli priùs ab Urbe reddita quam Metropolitano (locorum quippè intervallo effectum eſt, ut rei notionem multos poſt dies habitam Metropoli renunciaverit humaniſſima V. Idus Martias litera, ſubſecuto Concilii Generalis reſponſo patriæ idcircò decus, ornamentum, gratulationem pandente). Inſtaurata confeſtim à Civita-

te,

te, à Clero, quæ collatas jam pridem infulas celebraverant, jubilationis, signa, divinæ laudationis carmen, & preces, lumina circumquaque, funaliaque Civicum, Pontificiumque Palatium diurna veluti luce inter nocturnas tenebras illustrantia, festi ignes, tubarum, musicique concentus, sacri æris, & tympanorum, Populique plausus. Quemvè propitia sorte Cives patrem, plurimi Urbis Proceres naturæ munificentia propinquum splendidiore pompa recolebant, quos inter Excelsi in Mediolani Dominio Secretioris Areopagi Consiliarius & Redd. Ord. Magistratus Quæstor Marchio Don Alexander Herba erogata inopi plebi in singulas festas noctes non modica esculentorum, & poculentorum, atque æris stipe se & sanguinis & pietatis jure fratrem ostendit meritissimum liberalissimi Purpurati, cui, cum eximia præ cæteris apparatuum elegantia plauserit, hac una tamen præcipuæ illius virtutis acceptissima imitatione potuit gratificari.

Potissimis Mediolanensem Metropolim, ejusque Oratorem Comitem Siccum Borellam officiis prosecuti fuerant Cardinalis de Abdua, & Urbis Gubernator Sacræque Rotæ Auditor Scottus,

Præclariſſimi ambo Patricii, queis Inclyta Civitas glorietur. Rogatus idcircò Cardinalis, ut qui patrium in oſtro decus, perindè gratias agentes patriæ Civitatis literas Pontificio Culmini traderet, ipſamque Civitatem exhiberet venerabundam. Conſcriptæ ejuſdem momenti aliæ Purpuratis Paulucio, & Albano, delatiſque ad Cardinales à P. Cæleſtino epiſtolis humaniſſimè reſponſum eſt.

Gratum Apoſtolicæ Sedi animum, utcunque valuit, Civitas pandidit hiſce verbis.

BEATISSIME PATER.

ANtiſtitem Benedictum Herbam Odeſcalcum afflantibus ſuperis et Beatitudinis Veſtræ ſuffragio nuperrime electum quemadmodum exoptavimus Purpuratum habemus: Vberrima hinc Eccleſiæ, Patriæ, nobiſque omnibus argumenta letitiæ dum maximos inter orthodoxæ fidei Patres hic quoque Paſtor Patriciuſque noſter adſcribitur: hinc amoris, et charitatis ſtudia, quibus iſtius Metropolis impleta ſunt vota, dum Mediolanenſis Eccleſiæ tutelam ſimul, et dignitatem B.V., optimi Præſulis Electione, ſacri muricis dono proſpexit.

Gra-

Grates itaque si non pares referre valemus, quales tamen, et quantas possumus humiliter agimus eximiæ beneficentiæ nunquam immemores, prò incolumitate Beatitudinis Vestræ D. O. M. in omne ævum deprecaturi dum advoluti ad Sanctissimos Pedes Apostolicam Benedictionem submississimè postulamus. Mediolani die 8. Februarii 1713.

Sanctitatis Vestræ

Humilimi atque Obsequentissimi Servi
Vrbis Præfectus, & Sexaginta Decuriones
Concilii Generalis Civitatis Mediol.

Summam Divini Pontificis humanitatem testatum fuit responsum.

CLEMENS PP. XI.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ex literis, quas ob collatam Dilecto Filio nostro Benedicto Odescalco amplissimam Cardinalitiam dignitatem, grati animi vestri testes ad Nos dedistis, ingens gaudium, quod ex ea Promotione susceptum à vobis fuit, perlibenter audivimus. Ejusdem porrò gaudii prò Paterna, qua vos in Domino complectimur, charitate participes Nos ipsi fuimus; lætati siquidem præter modum

ſumus, quod oblata nobis fuerit occaſio tùm ornandi congruo præmio ſatis perſpecta eximii Concivis, et Antiſtitis veſtri promerita, tùm etiam augendi decora ac ornamenta Clariſſimæ Civitatis, quæ Illuſtrium, ſolidaque virtute præſtantium virorum gloria perpetuò floruit. Cæterum non ambigimus, quin quò majora ſunt ejuſdem Paternæ noſtræ erga vos charitatis argumenta, eò addictiores nobis omnium veſtrum voluntates, magiſque ferventia futura ſint veſtra in hanc Sanctam Sedem ſtudia. Vberes interim, ac aſſiduos Divinæ Gratiæ fructus Vobis, Dilecti Filii, à Domino precamur, et felicitatis auſpicem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Februarii MDCCXIII. Pontificatus noſtri Anno decimotertio.

Subſcr. I. C. Battellus.

A tergo. Dilectis Filiis Præfecto, et Sexaginta Decurionibus Concilii Generalis Civitatis Mediol.

Et ſigillat. etc.

Filios Parens, parentem filii coram ſpectare ardebant, fovebatque abſentia deſiderium, amor ſolicitudinem. Anxius regendi ſui gregis cogitatione Paſtor, animumque intendens dilecti ovilis excubiis literas tranſmiſit, queis edoceret

ceret ſe dignitatis faſtigium nuſpiàm omninò ponere , niſi in religionis & pietatis Sede. Et Apoſtolicæ legationi, & Ambroſiano regimini, & ſibi solùm par, qui vel plures multiplicatus in partes ubicunque adeſſet, vel ſolis inſtar eminùs irradiaret, Romam fama, Varſaviam præſentia, Mediolanenſem Civitatem Eccleſiaſtica diſciplina, omnia nomine implevit, & numine. Sane divinam illius mentem expoſuit in ſui Pontificatus exordio paſtoralis ad gregem litera Varſaviæ data poſtridiè Idus Martias MDCCXIII. hiſce nominatim ſenſibus Italico, proùt moris, ſermone exornatis.

„ Mediolanenſis Eccleſiæ moderamen infrà
„ vires & merita ſibi ultrò commiſſum à Su-
„ premi Pontificis munificentia, tum verò quod
„ Apoſtolicus in Poloniæ Regno Nuncius abeſ-
„ ſet à demandata cuſtodiendi gregis provin-
„ cia, eam anxio animo ſolicitudinem incuſſiſſe,
„ ut ſacro quodam pavore primùm perculſus,
„ mox inviſendi ovilis deſiderio ardens, ſem-
„ perque irrequietus diuturnam abſentiam
„ ægerrimè ſuſtinuerit. Divi Pauli voces ad
„ Theſſalonicenſem Eccleſiam, illius primùm,
„ nunc curæ ſuæ commiſſam identidem inge-

„ mi-

„ minasse *abundantiùs festinavimus faciem ve-*
„ *stram videre cum multo desiderio*. Moræ pre-
„ tium ab ipso gentium Doctore percepisse *ut*
„ *aliquem fructum habeamus*, & *in vobis*, *sicùt*
„ *et in cæteris gentibus*. Absolutis postremò Ge-
„ neralibus Regni Comitiis, pluribusque non
„ levis momenti tractatibus è re Vaticanæ Se-
„ dis, quanquàm munere non omninò functum
„ alia manerent adhùc, præsenti tamen spe pro-
„ ximi ad Metropolim accessus non semel ef-
„ fari *os nostrum patet ad vos*, *cor nostrum dila-*
„ *tatum est* resumptisque ejusdem Apostoli ver-
„ bis alloqui Mediolanenses *Obsecro vos fratres*
„ *per Dominum nostrum Iesum Christum*, & *per*
„ *charitatem Sancti Spiritus*, *ut adjuvetis me in*
„ *orationibus vestris pro me ad Deum*, *ut ve-*
„ *niam ad vos in gaudio per voluntatem Dei*.
„ Conscium esse Deum non expetitæ dignita-
„ tis, quam quidem non suscepisset, nisi ut
„ suam Divinæ sacram faceret voluntati. Nil
„ magis cupere, nisi ut à Deo, in cujus obse-
„ quium suæ impar tenuitati onus non de-
„ tractaverat, opem in obeundo munere conse-
„ queretur. Fieret, sicuti prædilectus Evange-
„ lista exoptaverat *ut et vos societatem habea-*

„ *tis nobiſcum, et ſocietas noſtra ſit cum Patre,*
„ *et cum Filio ejus Ieſu Chriſto*. Convenirent Pa-
„ ſtor & Oves cum Deo ſuperna virtutum &
„ gloriæ munera, queis nobiliſſimam Eccle-
„ ſiam ſemper cohoneſtaſſet, non intermiſſuro.
„ Hanc à Protopræſule Divo Barnaba inſtitu-
„ tam *ſuper fundamento Apoſtolorum*, à Divo
„ Ambroſio ritu ſingulari diſtinctam, Sacratiſ-
„ ſimo Clavo, Lipſanis ſacris, Martyrum cruo-
„ re illuſtrem, miris ſuperum prodigiis defen-
„ ſatam, vel ab alienigenis meruiſſe elogium
„ *Si unam Romanam Eccleſiam excipias, nulla*
„ *Mediolanenſi habetur fæcundior vel Martyrum*
„ *triumphis, vel Confeſſorum gloria, vel Pontifi-*
„ *cum dignitate*. Hanc vidiſſe Imperatores vel
„ præ foribus ſui templi maximi pænitentium
„ in ſpeciem procumbentes, vel, cum ferrea
„ corona inſignirentur, Sacro Subdiaconorum
„ amictu Regii Paludamenti vices referente,
„ celebrantibus Archiepiſcopis miniſtrantes;
„ Hanc in extremas uſque mundi regiones, &
„ uſquequaque inclytam ſuæ pietatis, ſui no-
„ minis famam circumferentem à lybicis quo-
„ que oris Epiſcopos, Punicum præſertim Con-
„ cilium III. acciviſſe ut ſecùm in gravioribus

„ con-

„ consultaret, Donatistarumque erroribus Pon-
„ tifices cùm Romanum Siricium, tùm Medio-
„ lanensem occurrisse Simplicianum; Floren-
„ tissimi hujus Cleri numerum effecisse, ut Ro-
„ mæ Anastasius, Mediolani Venerius missis ab
„ Africano Concilio II. contemporaneis legatis
„ ad Sacerdotum opem libycæ Ecclesiæ suppe-
„ ditandam rogitarentur, missumque præ cæ-
„ teris, qui tunc Mediolani legebat, & teste Ba-
„ ronio adversùs hæresim Pelagianam ejusque
„ vindicem Cælestium antè omnes pugnavit,
„ celebrem doctrina & sanctitate Paulinum...
„ Hujus Metropolis exemplo regi nobilissimas
„ quasque Europæ Ecclesias, postquam selectis-
„ simas Ambrosianæ Ecclesiæ regulas Divus Ca-
„ rolus Borromeus præstituit, ingentemque in
„ Codicem (acta Mediolanensis Ecclesiæ vocant)
„ redegit. Conspicuis hisce exemplis se exci-
„ tari ad antiquam Prædecessorum gloriam,
„ revocatis ad sui gregis memoriam effatis
„ Sanctissimi Gregorii XIII. *Ne sitis vos dissi-*
„ *miles, quibus, Deo benè juvante, quasi hæredi-*
„ *tario jure modestia, morumque probitas, et obe-*
„ *dientiæ virtus relicta est à majoribus vestris*
„ Voce & corde secum ipsi recolerent illud Di-

„ vi

„ vi Ambrosii *Absit ut tradam hæreditatem Pa-*
„ *trum*. Absit quodcunque in Venerabili Clero
„ intertrimentum pretiosæ hæreditatis, singu-
„ laris observantiæ, religiosi decoris, Clericali
„ in amictu, in morum probitate, in sacris
„ obeundis, quod hujusmodi intuito Sancto Car-
„ dinali Petro Damiano obtestari placuit *Nus-*
„ *quàm equidem, Deum testor, tam honestum, tam*
„ *venerandum Sacerdotum Collegium cognovi*.
„ Absit Cænobitarum Virginum, quas pervigili
„ curâ, non secùs atque oculorum lumina, custo-
„ diret, candidissimum Angelicæ puritatis li-
„ lium vel nævum pati, deturpatâ, ut minimum,
„ formosissimâ effigie, quam melliflua Ambro-
„ sii eloquentia Virgineas, Sororis potissimùm
„ Marcellinæ, laudes celebrantis nitidissimo ve-
„ lut in speculo exhibuisset. Absit postremò
„ dilectissimum populum declinare ab ea,
„ quam cùm materno propemodùm lacte suxis-
„ set, religione exantlatis tot piorum laboribus
„ adauctâ, omnibusque collectis se memorare
„ ejusdem Gregorii XIII. monitum *Stabiles*
„ *estote & immobiles abundantes in omni opere*
„ *Domini semper, ut disciplinam Christianæ vitæ*
„ *jam isthic aliqua ex parte florescentem, quo no-*

 „ *bilio-*

„ *biliores estis, eò splendidiùs ornetis in omnibus,*
„ *sicque de progressionibus vestris gratias perpetuò*
„ *agamus Deo*. Faustaque hæc omnia speran-
„ tem dilectissimis filiis Sanctissimæ Trinitatis
„ nomine benedictionem etiam atque etiam
„ impertiri.

Primo quoque tempore digressurum, animumque in omnes partes versantem gravia legationis munia tenuerunt, usquedùm ineunte novembri licuit proficisci. Regi Augusto destinatum propediem discessum atque observantiam primò testatus, singularem ipsius benevolentiam facilè potuit conjectare humanissimè & prolixo exceptus colloquio, veluti à cunctabundo nè citò dimitteret, quem grave sibi foret abesse. Vulgato exinde profectionis consilio Regni Principes, Reguli, Comarchi, Toparchæ, & Magistratu insignes edito officiositatis certamine abiturum invisentes palàm indicarunt quanti facerent quem dimittebant.

V. Idus ejus mensis se itineri committens Cardinalis, plurimum dehinc viæ emensus ad XV. Cal. Decembres Chestochovæ oppidum tetigit Poloniæ finibus ferè conterminum. Colliculum ibi leniter assurgentem tenet eminens Religio-

sæ,

ſæ, ad Protoeremicolæ exemplar, Familiæ Cænobium, Clarimontis idcircò nomine, & circumjectâ firmiſſimi propugnaculi munitione, tum verò miraculis inclytâ Deiparæ imagine (Divi Lucæ opus) conſpicuum. Qui adventantem obvius ad mille admodùm paſſus Cardinalem deduxerat familiæ Antiſtes fraudari ſe hoſpitali gloriâ paſſus non fuit. Hoc igitur, ac præſidiario milite in lætitiam, obſequiumque effuſo, plaudentibus grato adventui æneis tormentis, ſplendidum quatriduò hoſpitium expertus fuit Cardinalis, fuitque moræ pretium glorioſam iconem identidem venerari, pluraque cum ſuccedaneo in legatione Grimaldo, qui VVarſaviam pergens conveniendi deceſſoris gratiâ illùc diverterat, iniri colloquia. Indidem digreſſus, Cænobitarum militumque comitatu non modicum viæ ſpatium ſimùl emenſo, obſequiique ſigna eadem, quæ adventanti præſto fuerant, inſtaurante, ad Uratislativienſem Urbem præcipuam, factaque ibi ad ſubobſcuros largiſſimo imbre dies aliquot morâ, Volaviam pervenit. Honeſtiſſimo in diverſorio ſubſiſtentem inviſit illicò Princeps Jacobus Subieski, deductumque ad ſuam in caſtro ſedem peregre-

giè hoſpitatus eſt. Poſtera Sereniſſimo Auguſtiſſimi Leopoldi torum ſervantis Imperatricis Germano Franciſco Ludovico Palatino Rheni Uratislaviæque in utrâque ditione Principi, ſupremo Teutonici Ordinis Antiſtiti Moguntiaco Demarcho dies illuxit. Niſſæ Civitatem paris ditionis XIV. Kal. Januarii petebat Cardinalis, quùm Sereniſſimus Princeps præmiſſo ad leucæ unius ſpatium, qui urbanis ſecùm fungeretur officiis, factumque pridiè per certum nuncium hoſpitale invitamentum memoraret, equeſtris ordinis familiari, propè ab Urbe obvenit, frequenti aulæ miniſterio circumlucente. Gratulabundo invicem ſermone habito, utrumque Principem venuſtiſſimo Sereniſſimi petorito inſidentem mirata eſt Civitas, hilari tormentorum reboatu ingreſſum concelebrante. Iter inſequente die reſumptum vulgarunt æneæ voces iterùm obſtrepentes, & ſub noctem IX. Kal. ejus menſis, comitante Excellentiſſimo fratre Braciani Duce (hìc Principis Don Livii Odeſcalchi neceſſarius & teſtamento Toparchiæ, rei, & gentilitii hæres nominis, Auguſtiſſimum apud ſolium Auxiliarius Generalis Cæſareus per eos dies merebatur, Sacri Romani Imperii,
Sir-

Sirmiique Dynaſtiam, è qua ſimul ac vitâ teſtator deceſſerat, Clementiſſimi Cæſaris munificentiâ exindè adeptus) ad vicena quina milliaria obviàm facto, Viennam tenuit. Lapſo quatriduo ad Auguſtiſſimum Cæſaris Catholici Monarchæ Auguſtiſſimæque Conjugis Thronum accesſit, repetito pridiè Non. Januarii obſequio, quod Auguſtiſſimis ſubindè Imperatricibus Glorioſiſſimum invictiſſimi utriuſque Imperatoris Leopoldi & Joſeph thalamum referentibus teſtatum fecit. Magnatum, Procerum, Cæſarei, aliorumque Principum primoris miniſterii dehinc excultus officiis pridiè Non. intercalares Invictiſſimum Cæſarem prolixâ donatus audientiâ diſceſſurus recoluit. VII. Idus itineri ſe accingenti adſtitit Cardinalis Saxoniæ, quem pridiè Viennam ingreſſum inviſerat ineunte nocte Cardinalis noſter, peractiſque conſalutationibus illicò captum iter. Ovilabim IV. Id. nactus (ubi ſalutarem fieri moram per literas ſuaſerat Princeps Salisburgenſis) ſubſtitit in Benedictino Cænobio, Abbate liberaliter hoſpitante. Octiduo ibi exacto Salisburgum aſſecutus in magnifico Principis palatio tredecim diebus ad conſimile ſoſpitatis periculum immoratus Oenipontem

pontem petiit. Ad quingentos extrà mænia passus occurrens pretiosâ vectus carrucâ, splendido dehinc intrà Urbem decendiali hospitio Cardinalem excepit Tirolensis Comitatus Dynasta Princeps Carolus Neoburgensis. Præruptos porrò & confragosos Rhæticos montes triduò emensus Clavenam præsidiario milite ordinatim occurrente, lariosque indè pagos Grabedonam, mox Grimellum nactus in Odescalco ibidem palatio salutarem iterum dierum quinque & viginti moram traxit, longioremque subindè aliam animi causa, atque officiorum, queis vacare fas erat, quandiù capessendi Pontificalis Solii dilata foret dies.

III. Non. Junii plenas humanitatis literas dedit ad Generale Mediolani Concilium. „ Certiores sui & in eum pagum adventus, & invisendæ Metropolis desiderii faciebat Proceres. Proximum esse hoc solamen, cujus ægerrimè tarditatem tandiù pertulisset. Cordi sibi esse testari coràm, quanti faceret ipsorum meritum. Post multum temporis, quod profectione è Polonia, quod habitis probandæ sospitati interstitiis exiisset, posse metipsum adesse, ut quàm maximè studiosum se

„ exhi-

„ exhiberet Patriciis Illuſtriſſimis; Id commo-
„ dè eventurum, poſtquàm Sanctiſſimus Cle-
„ mentiſſimè indulſerat Apoſtolicam ad Sedem
„ differri acceſſum. Teſtari obſervantiam, ſtu-
„ diumque præcipuum impertiendi quæ Pro-
„ ceribus grata, vel in rem forent, utvè juſſio-
„ ne aliqua prætentaretur.

Reſponſum omnium voto; „ Humaniſſi-
„ mam paginam proximi adventus nunciam
„ reſpondere vehementiſſimo, quo arderent,
„ deſiderio procumbendi ad Pontificium di-
„ lectiſſimi Patris & Paſtoris ſolium. Pergrato
„ animo, pleno obſequio excipi benigniſſimos
„ ſenſus Eminentiſſimi Infulati. Imminente
„ ipſius adventu admodùm lætos, & cujuſvis
„ moræ impatientes cupere parentis amantiſ-
„ ſimi in conſpectu filialem probare veneratio-
„ nem. Fauſta demùm ei cuncta, queis commu-
„ nis patria dubio procùl proſperaretur, preca-
„ ri à Superis, & ſiſtere ſe ſe venerabundos.

Actum illicò de inſtruendis, qui ſolemnem Pontifici ingreſſum pararent, triumphis, ſed publicæ rei anguſtia Procerum quoque angebat animos ad maxima quæque converſos. Incly-ta Metropolis in Italico ſolo Civitatum maxi-

ma,

ma, nisi Roma antestaret, aliàs populinumero, auri affluentiâ, fabrorum opificumque industriâ florentissima, nunc diuturnis bellis, immodicis pensitationibus, tributisque, tùm verò internicino bubuli gregis morbo supra triennium ut cùm maximè ingruente, omnigenisque cæli injuriis, & calamitatibus conflictata, non opulentiæ, non pompæ, sed AMORIS TRIUMPHUM poterat ostentare. Vicit amor pervasitque angustias hunc quoque Triumphum referens, ut splendidissima quæ fuissent aliàs paria viribus spectacula non æquarent AMORIS TRIUMPHUM virium metam transilientis. Decretum itaque uti fierent apparatus proùt moris, Tribunali Provisionum jussa exequente. Delecti (admissâ nobilissimæ Sorbellonæ familiæ, cui ex privilegio id juris competit, excusatione) qui Civitatis nomine apùd Eminentissimum Archipræsulem priusquàm ad Urbem iter capesseret, consueta explerent venerationis officia, Comes Federicus Confalonerius, J. C. C. Comes Franciscus Archintus, Marchio Jacobus Fagnanus, Marchio Petrus Foppa, Comes ex Castellæ Dynastis Guidus Antonius Stampa; Hi ex Generali Concilio; Ex aliis

Don

Don Carolus Camillus Trottus, Comes Antonius de Belgiojoſio, Comes Hieronymus Caimus. Par munus commiſit Nobilium Juriſperitorum Ordo Collegis Marchioni Hiacyntho Orrigono, Don Thomæ Navæ, Don Julio Dugnano, & Comiti Jo. Baptiſtæ Trotto; Civitatis, Collegiique Proceribus & publico decori, & juſtæ Eminentiſſimi Archiantiſtitis propenſioni, præclariſſimæque familiæ merito conſentaneum exiſtimantibus, uti frater uterque de Trottis ſanguinis & virtutum nitore conſpicuus inclyto munere fungeretur.

Feſto apparatui Præfectis à Proviſionum Cætu, qui in eo ſedebant, Marchione Don Theodoro pridem Georgio Triulcio, & Don Franciſco de Mayno haud intermiſſa cura vigilantibus, præſtantiſſimo Civitatis Architecto Joanne Baptiſta Quadrio graphicè delineante, ſolicita opificum manu, exquiſitis pictoribus, & ſtatuariis ſedulò ſtudium operamque navantibus, bimenſis paulò ampliùs intervallo abſolutum eſt opus.

Extructæ in deſtinatis ad hujuſmodi pompas quæque locis binæ Triumphales Portæ quoquoversùs quà auro quà ære, tum verò ele-

 ganti-

gantibus multiplicis formæ volutis, encarpis, lemniſcis, trophæis, arabico per intervalla ornatu, varioque picturæ, & ſculpturæ ingenio renidentes.

Altera ſecùs aream Templi Divo Euſtorgio Sacri fabrilibus Mediolanenſis menſuræ cubitis duobus ſuprà viginti in latum patens quantumcunque via caperet, ad quinque & triginta aſſurgebat in ſpeciem majeſtatis. Bini ordines Magnifici operis ſtructuram diſcriminabant. Triforis inferioris medium laxiore ſpatio pandebatur. Minorum interſtitiorum lunato apici zophoris, acroteriiſque conſpicuo Metropolis utrinque Stemma imminebat. E mediæ intercapedinis altiore faſtigio lemniſcatum purpureum textile in ſpiras deſcendens ſequentem monſtrabat epigraphen.

TUO EMINENTISSIME PRINCEPS ADVENTU
QUOD TRIUMPHANTEM HIEROSOLYMÆ
HUMANÆ LIBERTATIS ASSERTOREM
PIETATE, MANSUETUDINE, CHARITATE
REFERAS
EXULTANS CIVITAS MEDIOLANENSIS
DUM TE FESTIVIS VOCIBUS
BENEDICTUM UNDIQUE CONCLAMAT
IN SPEM TANDIU' EXPECTATÆ PACIS
ET INTEGRÆ FELICITATIS
NON DUBIO OMINE ERECTA
GRATULATUR

Supe-

Superus ordo ſubjectam premebat inferioris coronidem. Ab utroque hujus latere eminula attollebantur ſcamilla ſupereminentibus obeliſcis, quos inter operis moles arctiore ſtructura lateralibus pilis diſtincta protendebatur, Gentilitio Beatiſſimi Clementis XI. Scuto interſtitium occupante, cujus dexteram Auguſtiſſimi Cæſaris, lævam Eminentiſſimi Paſtoris familiaria ſymbola obtinebant. Coronici ſupereminentia tria anaglyphici operis procera ſimulacra, hinc Pietatem, illinc Nobilitatem, inter utramque ſublimiùs ſe attollentem Sanctiſſimum Innocentium XI. affabrè expreſſum ore, corpore, habitu oſtentabant. Pietatem exhibebat ætate viridis, jucunda aſpectu Virgo, altera manu pectori applicita, dextera copiæ cornu geſtante, rutila flamma verticem leni tactu lambente. Nobilitatem maturæ ætatis Matrona, ore decorem, dextera Sariſſam, læva Minervæ iconem, capiti incubantem Stellam monſtrabat. Pontificali amictus Paludamento, hinc Catholici Orbis Vexillum, lævo illinc indice pia cordis arcana ſignans Sanctiſſimus Pontifex perennem Conſtantiſſimæ Religionis ac Pietatis memoriam ad omnium animos revocabat.

 Aver-

Averſum molis proſpectum ſublime decorabat ſchema amplo circumſeptum coronamento, alterum ſignifero in cæleſti orbe, in terris alterum leonem oſtendens cum lemmate.

MAGNUM UTRINQUE DECUS

Suberat huic ſymbolo ſequens Inſcriptio.

TUOS DUM CURRIMUS IN AMPLEXUS BENEDICTE
QUAM CAPIMUS FASTIDIRE COGIMUR VOLUPTATEM
NIMIRUM AD INFULATU, AD PURPURAM
HÆREDITARIIS TER MAXIMI AVUNCULI TUI
VIRTUTIBUS EVECTUM
AD APOSTOLICUM FASTIGIUM TE POSCI PRÆSENTIMUS
QUAM DE NOBIS SOLICITI!
NE NOSTRAM AMITTAMUS
COMMUNEM ORBIS FELICITATEM TIMEMUS

Romani, ut vocant, Stadii Portæ, quà Ticinenſem proſpectat alia imminebat in hoc invitamentum epigraphe.

INTROEAT
PATRIÆ CHARUS
IMPERIO CHARIOR
VATICANO CHARISSIMUS
ERBA, URBE, ORBE
EXULTANTIBUS

Arcus

Arcus alter quippe ad fauces viæ latitudinem cubitorum tredecim dumtaxàt metientis quà aurificum vicinia ab aurei textilis negotiatorum contermina discriminatur, Civium hinc illinc ædibus in altum tendentibus, haùd facilè speciosum in modum erigi potuisset, præterquàm raro præstantissimi Architecti ingenio ardua quæque exsuperante. Hujus arte atque industria extructis in obliquum stereobatis & basibus factum est, ut decora omnibusque acceptissima moles, latitudini servatâ opificii lege respondens, cubitis vicenis quinis suprà stilobatas excreverit ad supremum usque fastigium, supereminente ad novem alios Statua, quam mox referimus, Pontificali. Ordo inferior Magnificam pandebat Portam, arcuato ingenti supercilio magnæ molis parastatas ab utroque latere decussante, quarum stylobatæ, epystilia, abaci æneum mentiebantur colorem, applicitis ad summos scapos Telamonibus in speciem sustinentium immane pondus. Latera obtinebant Civitatis insignia, medium epigraphica in hanc sententiam tabula.

TIBI

TIBI BENEDICTE HERBA ODESCALCHE
QUI PRÆCOCI UIRTUTUM OMNIUM UBERTATE,
QUÆ SERO' DARI SOLENT, PRÆMIA ASSECUTUS,
MUNERIBUS, DIGNITATIBUS, HONORIBUS
ECCLESIASTICI MONARCHÆ MUNIFICENTIAM EXHAUSISTI
ARCAM HANC MAJESTATE TUA REPLENDAM
OBVIA CIVITAS MEDIOLANENSIS
DE TE MAXIMA CONCIPIENS
PRÆSENTIA TUA TANQUAM JUCUNDISSIMO TRIUMPHO GESTIENS
NON MINUS QUAM CORDA EXPANDIT

Hujus Ordinis Coronidi alter minoris machinæ imminebat, medium occupante ſchemate, quod navim debet onuſtam pleniſſimis placidum velis mare ſulcantem, ſuperâ ſtellâ propitiante, cum lemmate.

PROSPICIT EX ALTO CLEMENS

Summo vertici inſiſtens Pontificalibus ornatum inſignibus ſimulacrum monſtrabat Munificentiſſimum Archiantiſtitis Datorem Clementem XI. Hinc Juſtitia, illinc Meritum ſublatis in utrâque ſubjectæ coronicis extremitate hemicycliis inſidebant. Aureo illa in amictu, ca-

put

put diademate, collum gemmato oſtentans monili, altera manu lances librans, jucundo Sanctiſſimum ore ſuſpiciens, meriti ſymbolum dexterâ indigitabat. Oblongo hoc pretioſoque ſyrmate conveſtitum provectam aſpectu ætatem, promiſſam barbam, lauriferum caput, dextera ſceptrum, codicem læva oſtendebat.

In oppoſitæ partis proſpectu Civicas inter teſſeras ſublimem locum tenebat inſcriptio.

ATLANTIS TUI, QUEM LÆTA EXCIPIS,

PRÆCLARISSIMIS LABORIBUS DURATI

MERITA EXPENDE SI POTES MEDIOLANENSIS ECCLESIA.

ANNOS NE NUMERES:

HÆC HEROUM MENSURA NON EST

IN ADMINISTRANDIS APOSTOLICI PRIMÙM PROLEGATI

DEIN NUNTII GRAVISSIMIS PROVINCIIS

ID OMNE ASPERNATUS QUOD COMMUNES CONATUS NON EXCEDIT

TIBI SUSTENTANDÆ HUMEROS APTAVIT

ANTE ANNOS ANIMUMQUE GERENS CURAMQUE UIRILEM

Virg. Æn.9.

Ediderat haſce inſcriptiones atque apoph-

theg-

thegmata, qui mandantibus Ædilibus delegatis Provinciam ſuſceperat, Cœnobita.

Templariæ item majoris fabricæ Præfecti ſingularem pompam inſtruere feſtinaverant, quæ & ipſi antiquæ artis opulentiæque miraculo, & ſpectatiſſimæ Archipræſulis religioni non diſſentiret. Marmoreis columnis immanibus pretioſo periſtromate contectis: medii pronai, & utriuſque antè principem aram lateris intercolumnia tenuerunt magnitudinis ingentis tabulæ, induſtria excellentium pictorum æmulatione, nonnullas ex rebus innumeris à Divo Carolo gloriosè geſtis diſtributè in ſingulas præferentes.

Oſtendit prior humana ſpecie majorem ſuperfusâ cælitùs luce recens editum in Aronenſi arce infantem, puerperii & crepundiorum miniſtris internitentem nocturnis tenebris ſplendorem ſuſpicientibus, plaudente ſuperno Angelorum globo.

Alteram ornat effigies nigro induti ſyrmate Abbatis palmas tendentibus egenis, Eccleſiarum, queis initiatus fuerat, proventus elargientis.

Refert alia equo inſidentem, dum antecedente & ſubſequente equitatu, umbellam geſtante Nobi-

Nobili Confaloneriorum Familia Ambrosianum capessit fastigium, procidentibus, quos præsentis vi numinis perculsi Cacodæmones divexant, obsessis.

Cernitur in aliâ Supremi Pontificis genibus advolutus, admirantibus Purpuratis aulicisque, quùm auri contemptor, summæque religionis tenacissimus, quæ cæteri flagrantissimè averent, repudiavit, dimissis compluribus Sacerdotiis.

Huic proxima rarissimum præbet exemplum gentilitiam Auriæ Dynastiam venundantis, ut ingens quadragintà mille aureorum pretium egenis turbis, perindè quasi suis sub signis meruissent, quodam velùt in diribitorio numeraret.

Alibi Provinciali præest Concilio, assidentibus hinc, illinc non uno ordine Episcopis, & frequenti Clero.

Instituit alibi Religiosissimum quâvis scientià præstantium (Oblatos vocant) Sodalitium, præscriptis regulis, quarum codicem porrigit genuflexis.

Alibi sanctitate & doctrinâ Spectabiles Jesuitas, Sancti Pauli, Theatæque Clericos Urbis incolas facit, sedibus, quas inhabitarent, Ecclesiis, quas colerent, fundis, quorum proventibus illi

ſuſtentarentur, deſignatis, tradito largitionis monumento.

Alibi inſtructæ in domeſtico ſacelloaræ proximus miſſam à Savonenſi Epiſcopo, quam ſolicitus curſor impiæ in caput conjurationis nunciam ſignificabat, epiſtolam ſubdita ilicèt facula comburit illectam, nè ſceleris notitia, ſimulque in proditores odium divina facturi perturbet animum.

Alibi in orantem ante Iconicam Deiparam ſtans in ſacelli limine, vultu terrifica minante, infamis percuſſor Farina ignivomam diſplodit fiſtulam, attonita revertentibus ora ponè reclinatis in genua familiaribus.

Quà Catholicæ fidei vexilla ſolemni inſtituto extollit in viarum compitis adoranda;

Quà udo lachrymis vultu miſerationem, pietatemque ſpirante publicum propè Urbis mænia noſocomium, feralia libitinæ atque horroris ſepta, graſſante lue circumequitans, ſtrigoſis turbis ad clathra, ad ſpeculas confertis benigno nutu ſuppetias pollicetur.

Quà ſui immemor tabidos inter purulentoſquè languentium globos, teterrimo circumquaquè ſpectaculo oculos funeſtante, ſemianimes

ful-

fulcit extremis ſacrorum myſteriis.

Quà macie decoloratus, triſti obductus ſyrmate, nudo pede, tereti fune collum cingens, manantibus lacrymis, Clero & populo in pietatis ordinem gradiente, placando numini ſalutare crucifixi tropheum per Urbem circumfert.

Quà Metropolitanæ poteſtati obnoxiis Infulatis, religioſiſque ordinibus ſacras cæleſtium indigetum exuvias ſolemniter transferentibus, ipſemet D. Carolus, & Bononienſis Antiſtes Cardinalis Paleottus Divi Simpliciani caput argentea incluſum capſula geſtant ſuccollantes.

Quà genibus nixæ Virgines capuccinæ, capite ſpineam coronam, collo funem, humero crucem geſtantes, Purpurato Archipræſule inaugurante, obſervantiæ regulas profitentur.

Quà Epiſcopis obvenientibus, decorâ nobilium manu deducente, Rhæticam ditionem viſitaturus ingreditur.

Quà, ſplendida aulicorum corona latus cingente, Sabaudo Duci, Regiiſque ipſius pignoribus caput intectis, poſitoque genu venerabundis ſalutare crucis ſignum, dexterâ in id compoſita, impertitur.

Alibi pro roſtris divinam agit cauſam, cir-

cumfusâ multitudine concionabundum ſuſpiciente.

Alibi Orphanarum.

Alibi Catholicam fidem edocentium pios cætus inſtituit, illinc velatis caput Virgunculis, hinc ortodoxæ diſciplinæ præfectis inſtitutionum paginas è purpurati manu ſuſcipientibus.

Alibi obſoleta amictus diploide, cubito innixus menſulæ, reclinatum dexterâ volâ caput ſuſtinente, ſedeculam occupat in ſpeciem quieſcentis, laternâ penſili antelucanis atrienſibus herum monſtrante.

Alibi ægros inviſurus ſcalas ſupergreditur primoribus aulicis comitantibus.

Alibi ſalutiferos Chriſti angores referentia, in Verallo monte ſimulacra perluſtrat, myſteriaque ipſa cogitabundus inter noctis ſilentia meditatur.

Hinc ad cæleſtem patriam evaſurus, lectulum cingente religioſorum choro accenſas faces geſtantium, Divino Viatico munitur ſemianimis.

Confertiſſimo illinc populo templum maximum luctuosâ pompâ funeſtatum occupante, triſtibus cujuſque ætatis & ſexus turbis, quà

ſupi-

ſupinas ad cælum palmas tendentibus, quà Sacram Oſſium compagem indigitantibus, quà in genua poſitis manu pectus plangentibus, quà lymphatis, violentâ oris artuumque jactatione, ſua & prehenſantium corpora agitantibus, frequenti Clero Sacris exuviis parentante, religioſo Oratore funebrem defuncti laudationem dicente, eminet in aſſurgente per multiplices gradus ferali pegmate Pontificale Cadaver.

Proximè Divis Barnaba & Ambroſio occurrentibus extenſis ulnis, alatiſque Empirei miniſtris inclyta adinvicèm veluti æmulatione atque inſerviendi gloriâ provocatis, quà Crucis vexillum, quà Antiſtitium Pedum geſtantibus, quà Supernos in globulos coeuntibus, quà ſubeuntium, quà deducentium miniſterio albatus Porphyride ſuperfluente circumquaque irradians in cælum evehitur.

Sacro demùm tumulo procumbentes nobiles, plebei, cum filiolis matres, luxati, claudi, mutili, manci, puſtulati, ſtrumoſi opem implorantes cariſſima in terris pignora Cælo redditi Paſtoris venerantur.

Duodetrigintà hiſce amplis præclaras à vivente res geſtas, totidemque ſubordinatis non

arte

arte ſed menſurâ minoribus tabulis divina, propitiante hoc numine, prodigia multifariàm prodentibus, argenteis plurimo ordine antè inſtructam potiſſimo ritu primorem aram lychnis, Odæo, choro exteriori, ſacræ criptæ impendentibus, votiviſque tabellis hærentes ejuſmodi metalli innumeras icunculas præmonſtrantibus, ac texto ſerico artificioſas supernè volutas, ſinvoſos infernè flexus eleganter circumferente, formoſiſſimus in facilè omnium Principe templo emicuit apparatus.

Specioſiſſimam quoque illius faciem lævi, parii inſtar, marmore nitentem, quinis patentem excelſis januis, inſculptiſque hinc illinc veteris legis monumentis diſtinctam, multiplici uſquequaque opere Praxitelum nomen ferè obliterante, & ſublimi faſtigio aſſurgentem, nulliuſque indigam venuſtatis ornatus alter, qui nunquàm fatigatos celebrando AMORIS TRIUMPHO Proceres oſtenderet, decoravit.

Principis Januæ ſupercilium amplum propyleum, laxioremque aream, & circumjacentes latè domos proſpectans ſupereminentia Summi Pontificis Clementis XI., Auguſtiſſimique Cæſaris Catholici Monarchæ, ac Purpurati

Ar-

Archipræſulis gentilitias in ovata miræ magnitudinis parmâ teſſeras adventantium oculis obiiciebat. Dexterum hujus latus, Vigilantiæ, lævum Charitatis ſimulacra occupabant. Utrâque Virtute æquè ac Purpurâ Eminentiſſimus hiſce ſymbolis debuit indicari, ſimùlque Pontificiam, earumque virtutum Sedem nanciſcenti quæ ſua ſunt exhiberi fas erat.

Vigilantiam pandebat vivido aſpectu, alacri corpore expreſſa Virgo Cælum ſuſpiciens, manu una ardentem facem, altera tenens bombycinum crotalo appenſo lemniſcum, jacente ad pedes Leone caput in lævum Virginis genu prominens reclinante.

Charitatem referebat ore & corporis habitu Matrona gravis, præcipua cujus manus cor ſcintillans geſtabat, læva ulna infantem amplexabatur, proximè puſione defluæ pallæ rugam prehenſante.

Gentilitiæ tabulæ ſuberat aureis circumquaque lemniſcis nitens purpureum textile, in quo maximis explicabatur literis ſequens epigraphe

BENE-

BENEDICTUM ODESCALCHUM
INNOCENTIO XI.
SANGUINIS, ET VIRTUTUM
PROPINQUITATE CONJUNCTUM
CLEMENTIS XI. BENEFICENTIA
AD REGEM POLONIÆ
PONTIFICIUM NUNTIUM
CAROLO VI. CÆSARE SEMPER AUGUSTO
HISPANIARUM REGE CATHOLICO
MEDIOLANENSEM ANTISTITEM
ROMANA PURPURA DECORATUM
FABRICÆ PRÆFECTI
TEMPLUM MAXIMUM INGREDIENTEM
GRATULATIONIBUS PROSEQUENTES
OPTIMO, MAXIMOQUE PONTIFICI
GRATIAS
FAUSTITATEM REGIMINIS,
VOTA
CONCIPIUNT

Præ-

Prædecessorum more à Laudensi ad hanc Civitatem faciendum erat iter. Ergò pridiè Idus Augusti stipantibus Equitum Magistro, Cæsareisque in Italiâ armis Præfecto Marchione Annibale Vicecomite, propinquisque aliis Conspicuæ Nobilitatis Proceribus, tùm alio Patriciorum globo, atque aulicis administris, itemque deducente alterâ ex loricatis Regiorum in Metropoli excubitorum turmis, quas earum Chiliarchus Comes Antonius Somalea obvias miserat, Laudem petiit Cardinalis. Ad mille quingentos propè Urbem passus Laudensis Episcopus (è Præclarissima Vicecomitum Gente meritissimi Senatoris Comitis Caroli frater Cardinalem decorè hospitatus) dehinc suburbanum secùs diversorium (gattam vocant) Marchio Ala Laudis Pompejæ Gubernator, & unà simùl Stativis Laudensibus copiis Præpositus Chiliarchus Comes Odoardus multo suæ legionis milite duos eleganter in ordines distributo adventantem exceperunt lecticæ, quam unà cum obvio Episcopo posthabito confestim sejuge curru conscenderat, insidentem. Postquam ex equo desiliens mutuâ collucutum humanitate Cardinalem veneratus est Comes intrà mænia antè agmen processit.

Quocùm comitatu, reboantibus ex arce bombardis, ac ſacro univerſæ Civitatis ære, canoriſque novati operis lituis jucundum murmur edentibus, maximum Laudenſe templum (in extima cujus planitie cæteri laudatæ legionis milites in aciem diſpoſiti venuſtiſſimè emicabant) ingreſſus Clero obveniente, muſiciſque choris exquiſitiſſimè concinentibus, Deum propè Aram Primorem veneratus, frequentiſſimo exindè Populo benedictionem elargitus Epiſcopi in ædes conceſſit.

Per idem tempus præmoniti ab Urbis Præfecto advenerant & Civitatis & Juriſperitorum Collegii Oratores, ut ſibi demandatum à cætibus obſequium profiterentur; Aderant quoque Nobiles Confalonerii ut conſueta familiæ officia explicarent.

Poſteræ diei ſtatâ horâ antemeridianâ coactos in Principe Laudenſi Eccleſiâ Mediolanenſis Civitatis Proceres deduxit ad Epiſcopale Palatium Ceremoniarum Magiſter, obveniente ad ſcalas Cardinalis miniſterio, ad extremæ uſque Proaulæ fores tribulis famulatus ædi contermi-nas ipſomet Cardinale. Ubi dehinc auditorium tenuerunt capite omnes operto conſiden-

tes,

tes, Metropolis & Condelegatorum nomine Comes Federicus Confalonerius quippe qui in albo Decurionum cæteris præcedebat (ipſos quoque Condelegatos omnes in Laudenſis Patricii Marchionis Villani laribus ſplendidè hoſpitatus) perpolita expoſitione ſermocinatus eſt ; „ Ut
„ Generale Mediolanenſis Urbis Concilium ad
„ Ambroſianæ Eccleſiæ, mox ad Cardinalis di-
„ gnitatis apicem evectum Emeritum Patri-
„ cium ſummo gaudio accepiſſet, perindè ſe ſe
„ illo mandante adveniſſe, ut Patriæ propterea
„ plauſum, gratulationem, obſervantiam con-
„ teſtarentur. Nil gratius, nihil jucundius nan-
„ ciſci Metropolim potuiſſe, quam patrii ſan-
„ guinis nitore, virtutum cumulo, Sacro Mu-
„ rice Eminentiſſimum Archipræſulem. Tanti
„ Principis ſplendorem, Comitatem, Pietatem,
„ Religionem proſpera cuncta polliceri, nec
„ defuturum, quod Peregregiis Dilectiſſimi Pa-
„ rentis ac Paſtoris partibus reſponderet Uni-
„ verſi Populi filiale obſequium. „ Ea amantiſſimi humaniſſimique animi ſignificatione reſponſum à Cardinale eſt, ut ſermonem reſu-
„ mens Comes Confalonerius, totius Civitatis,
„ Equeſtris præſertim Ordinis benevolentiam

„ ac venerationem iteratò exponens nil ampliùs
„ optabile profeſſus fuerit, niſi longævum tan-
„ ti Principis moderamen, quod à Supero bo-
„ norum omnium Largitore effuſi in preces
„ Concilii Proceres exorarent. „ Rarâ ſubinde humanitate in ſingulos Legatos explicita, digredientes omnes ad mediam uſque ſervilis miniſterii ſcalis proximam ædem proſecutus eſt Cardinalis Illuſtriſſimo ſemper titulo allocutus, deduxeruntque ad imos uſque Scalarum gradus Aulici Adminiſtri.

Ab eodem, in quo convenerant, Templo poſtea deducti à Rituum Præpoſito ad prodeuntem in mediam uſque Proaulam Cardinalem Mediolanenſis Juriſperitorum Collegii Legati, aulamque ingreſſi paratas occuparunt ſedes pileo caput tegente. „ Tum verò Marchio Hia-
„ cynthus Orrigonus expoſuit; Fuiſſe eam le-
„ gationem à Collegio decretam ut debitum
„ gratulationis ac venerationis officium Emi-
„ nentiæ Suæ exhiberetur; Hac honoris præ-
„ cipuâ acceſſione fuiſſe illud decoratum, quòd
„ Oſtrigerum Archiflaminem generis claritu-
„ dine, exquiſitiſſimis animi dotibus, omni
„ ſcientiarum virtutumque genere florentiſſi-
„ mum

„ mum totius Urbis plauſu quàm amantiſſimè
„ cooptaſſet ; Se ſe humilimum Collegarum
„ omnium teſtari obſequium, flagrantiſſimum-
„ que deducendi ad Pontificalem ſedem ipſiuſ-
„ met Principis deſiderium . „ Haùd impari comitate pandidit Cardinalis quanti æſtimaret Nobiliſſimum, in quo conſcriptus ipſemet fuerat, Collegium, cui præſtò futurus foret pro viribus quotieſcunque fieret locus gratificandi. Ingeminatâ à Marchione obſequii teſtatione Legatos humaniſſimis effatis viritim allocutus, venerabundo invicem facto ſermone, pari Urbanorum Magnatum titulo ac deductione cohoneſtavit.

Poſt hos admiſſi Nobiles Confalonerii, idemmet Comes Federicus, Abbas SS. Nazarii & Celſi Vincentius Philippus illius filius, J. C. C. Mediolani Conradus. Familiæ hic partem honorificentiſſimè explevit, maximum gaudium, quo ob collatos Eminentiſſimo Archiepiſcopo honores perfuſa illa fuiſſet, graviter ornateque exponens, ſimulque antiquiſſimum in Ambroſianos Pontifices Gentis ſtudium atque obſequium, Eminentiæ Suæ Glorioſiſſimam Sedem quantò ocyus proùt ipſi peroptabant, adepturæ non

defu-

defuturum. Grato ac perhumano responso, titulorumque ac deducendi ritu non secus atque in Jurisperitorum Collegium benignè habiti ad unum omnes dimissi sunt.

Laudensis dehinc Civitatis obsequium ejusdem Prætor & Decuriones, mox Mediolanensium Basilicarum Præpositi suam in singulos venerationem Cardinali exhibuerunt.

Exacto prandio, ac repetitâ in Templo adoratione Metropolim petiturus iter arripuit Cardinalis, Episcopo, cæterisque Nobilibus non modicum viæ spatium extrà Urbis mænia simùl emensis, militum item turmâ præeunte, usque dùm illius jussu retrorsùm cederet, nocturnisque tenebris ingruentibus Pontificias Ædes tenuit, suppressâ adventus notione moram facturus ad solemnem usque diem, quo, Civitate expedita quæque nunciante, honorificus pateret ingressus.

Suo, ideſt Principum, more latebat Cardinalis, cum lateret neminem, vulgato hoc ipso quod non prodiret in vulgus. Interdiù Regimini præordinando intentus, noctu familiaribus ardentes faces præferentibus crypticas gradiens scalas (quarum ex ædibus Pontificiis descensus, interjectoque æquo solo ascensus ducit in Templum

plum Maximum) ad hypogæum tendebat, adoratis ibi Divi Caroli exuviis in pretiosissimâ arcâ auro, argentoque, & crystallo perlucidâ circumclusis.

Postridiè Idus Augusti publicis circumquaquè literis moniti, ut Cardinali ad XIV. Kal. Septembris solemniter ingredienti præsto essent Decuriones, & Tribunalis Provisionum Proceres. Edita ab hoc programmata; ut suis quisque præ foribus, quà transeundum foret, cæno & eluvie vias detergeret, obices removeret; Ut die indictâ ædium parietes aulæis, stragulis vestibus pretiosis, & pictis tabulis ornarentur; Ut continuo desuper textili inumbraretur iter; Ne quispiam se Clericis, Proceribusvè intermisceret, vel ullo vehiculorum, alteriusvè implexus genere impedimento foret solemniter procedentibus.

Ecclesiasticæ quoque potestatis edicta præmonuerunt ingressui statâ die adfuturos cujuscunque Sacri ordinis religiosos, piisvè sodalitiis adscriptos viros. Sisterent ad meridiem in Templo maximo sua gerentes euchologia, & sacra insignia, indidemque ordinatim, moniti ut forent, egrederentur cum adventante Archiepiscopo

piſcopo reverſuri. Reditum à Divi Euſtorgii delubro, ad Maximum cohoneſtarent pſalmodiâ in edicto præſcriptâ. Triduo antè ingreſſum nolana Secularium, Regulariumque Eccleſiarum (Monialibus exceptis) æra feſtivos, primâ præcedentis noctis vigiliâ ſolemnes de more concentus ederent ſacrarum Metropolis ædium quæcunque turres, quo tempore hujuſmodi ſonitus ab Eccleſiarum Maximâ exaudiretur, eodemque tinnitu pomeridiano plauderetur Eminentiſſimo Infulato ſolemniter progredienti.

Templum Divo Euſtorgio ſacrum ornabat interim, triumphoſque ſuos parabat Dominicana Cænobii à templo ipſo denominati Familia, ut ſervatâ priſci moris gloriâ Mediolanenſi Archiepiſcopo primùm prodituro præ cæteris obſequeretur. Hilaris ſacri æris per triduum tinnitus, communis ſingulorum, quà vias depurgantium, quà ædium frontem depolientium ſolicitudo, creber omnium ſermo de laudatiſſimo Principe, de proximo illius ingreſſu, de publicâ jubilatione colloquentium, mentem animumque deſiderio implebat & gaudio, breviſque mora propediem ingreſſuri Principis diuturna Civibus videbatur, amoris vi tem-

poris

poris celeritatem transilientes.

Destinatus Triumpho dies exindè illuxit, quùm splendida in Urbe cuncta enituerunt. Metropolitas, Provinciales, Exteros didita usquequaque tanti Antistitis, tanti Principis fama ad gestientem effuso gaudio Civitatem acciverat. Scutulatis, multitiis, segmentatis, & Babylonici, Phrygiani, Damasceni, Belgici, Attalici aliusvè operis stragulis, aulæis, peripetasmatis vel parietibus aptatis, vel per fenestras, per speculas, & mæniana demissis, variâ sacrarum iconum, aliarumque honestarum imaginum formositate, cælato argento, floribus, coronisque renidebat ædium facies, quà solemne iter tendebat. Velaria superinducta; Pegmata, fulcra, tabulata ad diverticulorum fauces (quorum extrema, obductis, nè cisiarii irrumperent, clathris, septisvè, dimisso hinc illinc pedestribus spatio, muniebantur) publicisvè in atriolis extructa, aut solidâ contignatione muris infixa spectatores plurimos excipiebant. Alii domorum januas, projecta, & undecunque prospectus pateret, obsidebant, cum ædium usque in culmina plurimi evasissent. Innumeri occupabant vias, vel turmatim ad latera, vel

confertim in mediis, altero alterum urgente; inextricabilia profectò itineris impedimenta, ni perequitantes Judices præeunte ſpiculatorum manu minacitèr clamitantium confertiſſimos deturbaſſent, aùt in dexterum, lævumvè ordinem coegiſſent.

Exacto meridie Cardinalis ad Euſtorgianum Cænobium ſecretò pervenerat. Templi parietes periſtromatis, complicatiſque eleganter bombycinis conveſtiti, multicolores encarpi è teſtudine demiſſi, altaria argenteis ſimulacris nitentia, pictæ epigraphicæque tabulæ Cardinalis virtutes, & piæ, quæ hæc paraverat, familiæ plauſum, religioſamque majeſtatem ſpecioſiſſimè præferebant.

Splendidè inſtructa Cænobii conclavia tenuit Purpuratus, in contiguis aliis ſubſiſtente Senatu, utroque Regiorum Reddituum Magiſtratu, Generalis Concilii, Tribunalis Proviſionum, Juriſperitorum Collegii, Nobilium de Confaloneriis, aliorumque Procerum frequenti Cætu; Quos inter & Cardinalem humaniſſimè excipientem, dum procedendi ſeries inſtitueretur, mutua deinceps ceſſerunt conſalutationis officia, diſertiſſimo eximiæque literaturæ viro

Urbis

Urbis Præfecto Marchione Hieronymo Parravicino Civico hoc potissimùm honore luculenter perfuncto.

Pium agmen præibat Labarum, quod vocant Doctrinæ Christianæ arte & auro dives, phrygia acu pictam inter abruptas radiis nubes Divi Caroli imaginem promens, splendore Cælestis gloriæ circumquaque irradiante, Angelorum globis puerili forma adludentibus. Ponè erectum Redemptionis nostræ signum. Undeviginti dehinc Scholas Ortodoxæ institutionis à Cardinale Bellarmino digestæ lectissimi adolescentes plurimi referebant, corporis habitu, ornatuque multiplici, ac idoneis symbolis, quasi personam agerent virtutis, domitumque repræsentarent vitium, proùt in singulos cætus fuerant distributa. Utriusque legis, Moysis videlicet atque Evangelii virtutes, adversosque errores, proùt inanimis terreæque compagis expertibus rebus corpus vultumque dare consuevimus, eleganter ac ingeniosè expresserant, congruos singulis virtutibus amictus, congrua gestantes insignia. Peltis, scutis, parmis, ancilibus, vexillisvè appicta schemata, inscriptasque maximis literis rei accomodatas sacræ

ſcripturæ ſententias exhibebant; Venuſtiſſimus ſubindè epheborum ex iiſdem ſodalitiis Cæleſtes Alites innoxiè mentientium Comitatus ſtipabat eruditos in ſymbola anteſignanos, quorum quiſque ut procedens ad ſedentem in Cænobii periſtylio Cardinalem appropinquabat venerabundè ſubſiſtens diſtichon vel epigramma, lyricumvè perſtrictum Poema ſchemati conſentaneum maternâ recitabat linguâ, mox paſtorali benedictione donatus iter proſequebatur. Nil ſanè gratius, nihil jucundius exhiberi potuit Pontificalem adipiſcenti Sedem Religioſiſſimo Archiantiſtiti, quàm ut perennis & neutiquàm intermiſſa ex Divi Caroli inſtituto Eccleſiaſticæ diſciplinæ potiſſimæque doctrinæ ſeries, hinc ſubacta hæreſis, excultæ virtutes, vitia profligata intentum ad pios progreſſus animum exhilararent.

Prælatis in ſingulos inſignibus ſuis ſuccedebant piorum ſodalium cætus, prævios hilares ſonores edentibus lituis, alatorumque veluti Cælitum frequenti manu ſacrum divinæ rei apparatum præferente. Binæ Principis Gubernatoris excubitorum turmæ, ductoribus veſtium equorumque luxu conſpicuis, ſequebantur.

tur. Domeſtica exinde Cardinalis impedimenta unicoloribus luculentiſque dorſualibus conveſtiti vehebant muli plurimi, inſequente famulorum turba honorarios equos ſplendidè inſtructos frænante, mox Curialium, aulæque Miniſterio ponè equitante. Servato dehinc dignitatis Ordine Cænobitæ, Parochi, Eccleſiarum Præpoſiti & Canonici, Helvetici Collegii, Ambroſianique Seminarii Alumni perquàm numeroſo agmine ſpectabantur. Urbis deinceps Primores plurimi ornatiſſimis veſtibus, phaleratis ac luxuriantibus equis ſpectabiles, ſervorum quà ſerico quà auro nitentium globis coruſcabant, quos inter Marchio Quæſtor Don Alexander Herba, quo humaniſſimè invitante convenerant. Præeunte qui Pontificalem tenebat Clavam, prodibant Beneficiarii Templi maximi, nonnullis, quos equi vehebant, Crucem, Infulam, Pedum geſtantibus, tum verò Cæremoniarum Magiſtri, Canonici, quos Ordinarios vocant, & dignitatibus inſignes, ſuis quique in amictibus ſacris, attalicique operis ditiſſimis Caſulis, Dalmaticis, Trabeis.

Cardinalem è Conclavibus ad Periſtylum deduxerant, Crucis vexillo, accenſis faculis Cænobitis

nobitis in binos præeuntibus divinæque laudationis carmen canentibus, Nobiles Confalonerii à Rituum Magiſtro accerſiti, dexterum Abbate Vincentio Philippo, lævum cingente latus Juriſperito Mediolanenſis Collegii Conrado, utroque Purpurati veſtes, ulnam alteram urbanum in modum Comite Federico ſuſtinente, Dertonenſi & Viglevanenſi Epiſcopis Reſta & Cattaneo comitantibus. Hoc itidem ſervato deductionis officio Cardinalis ſtato tempore in Sacrarium pervenerat, ibique Dominicanis coràm Cæremoniarum Antiſtite miniſtrantibus Pontificali more indutus in Templum progreſſus fuerat iiſdem Confaloneriis Trabeæ alas tenentibus. Adorato ibi Numine, eodemque deductus Comitatu ac ritu Templum egreſſus fuerat, cum prodeundi immineret tempus, cujus anguſtia cum Juriſperitum Conradum, ſicuti paraverat, concinna Oratione Cardinali plaudere non pateretur, hanc literis mandatam accipere humaniſſimus Princeps dignatus eſt. Templi aream prætergreſſum Nobiles Confalonerii, quem jugiter lateri adſtantes ſtipaverant, gradario albenti equo alacri niſu impoſuerunt, atque è veſtigio ſonipedem quiſque ſuum conſcendit.

Gra-

Gratum exhibebat ſpectaculum celeberrimæ hujus Nobilis Familiæ ſplendor & pompa, ſingulari jure, antiquiſſimâ conſuetudine (quam accuratè refert ſolemnem Cardinalis Archiepiſcopi Cacciæ ingreſſum exponens Egr. Urbanus à Secretis Parravicinus) Mediolanenſes Archiflamines Ambroſianę Sedis in poſſeſſione conſtituentis. Antè argento textilem Umbellam aureis fimbriis coronatam proximè Equites Confalonerii ſpectabantur oſtrino tecti galero, unicoloribus, proùt cæteri, calceamentis, dexteram tenens Comes Federicus, lævam Juriſperitus Conradus, medium Abbas Vincentius Philippus ex tyrio holoſerico Sagum, Togam, Syrma geſtantes. Comes militari fungens munere ſupervolitantibus gemmatum petaſum criſtis, plectis aureis amictum diſcriminantibus, bacillum ſtringens Imperatorium, impigrum generoſumque equum luculentèr inſtratum, jubamque multicoloribus tæniis amentiſque intertextam agitantem, vario fatigabat inceſſu. Equitantis Archiepiſcopi dexteræ aderat Don Carolus Antonii J.C.C. Papienſis filius, alteri ſtapedæ Comes Ansbertus ex Comite Federico. Sericum fræni anſulæ inſertum retinaculum tenebat Jo. Baptiſta ex J.C.

& Ad-

& Advocato Mediolanensi Theodoro. Argenteis nitentia bracteis Umbellæ fulcimenta alii deinceps Confalonerii prehensabant: dextri lateris primum obvium Don Carolus Confalonerius, alterum Clericus Camillus, uterque Comitis Federici filius, tertium Bernardinus, postremum Canonicus insigni in Ecclesiâ Collegiatâ Oppidi Marliani Joseph. A lævâ Jo. Baptista, Clericus Dionysius, artium & medicinæ Doctor Joseph, Ven. Petrus Paulus Canonici Joseph frater. Caput omnes intectos purpurea vestis decorabat, Regiis hinc illinc sarissophoris popularem submoventibus turbam.

Plausum & gaudium ciebant omnia; Sed unus omnium in se oculos animumque convertit succedens Cardinalis. Annum agens trigesimum quartum juventæ & virtutum florem humanissimo præferebat aspectu, modesta alacritate, benigno obtutu, jucundè gravis, dignitate obsequium, serenitate amorem conciliante. Ut salutari Crucis signo ab illius dexterâ munirentur, ut oris lineamenta spectarent, ut coràm ingeminarent plausus, certatim ingruebant complures, atque inexplebili revisendi Pastoris cupiditate, quam peramabilis jam visi

præ-

præſentia inflammabat, præproperâ feſtinatione, ut procedenti terque quaterque anteſtarent, præcurrebant. Exaudiebatur geſtientium, laudantium, felicia quæque ominantium murmur. Datum eſſe à Deo Optimo Maximo meritiſſimum Pontificem, cujus raras animi dotes vel ipſa oris ſpecies indicaret; Datum Ambroſianæ Eccleſiæ in annos plurimos, niſi Romana invideret. Mediolanenſes viridis ætatis Archipræſules in Ambroſiana Sede præ cæteris refulſiſſe.Ità SANCTISSIMOS BORROMEOS CAROLUM, ET FEDERICUM, quorum primus vigeſimum ſextum, trigeſimumtertium alter ageret annum, quùm ſolemni ritu patriam Urbem ingrederentur. Ut ille Supremi Pontificis Pii IV. ſororis filius, hic ipſius Divi Prædeceſſoris patruelis & ſanguinis & virtutum naturali quodam jure emicuiſſent, perindè nuperum Antiſtitem Purpuratum Sanctiſſimi Proavunculi Innocentii XI. vivam in ſe ipſo imaginem relaturum. Divinâ munificentià fuiſſe initiatum hujus Eccleſiæ faſtigio Ampliſſimum utrumque Cardinalem Borromeum, ut quiſque ſæviente fame ac peſte tot millibus

unus & sustinendis sufficeret, & pereuntibus, sufficeret Civitati. Metropoli nunc viribus exhaustâ, consumptis inimico sydere agrorum subsidiis, dispositis ad Mediolanensis Ditionis confinia publicæ salutis excubitoribus, missum à superis Liberalissimum Piissimumque Archiepiscopum, qui & egenis opitularetur, & cælestes iras suis precibus, exitiumque, quod in caput timeretur, averteret. Olim in Monte Albano sine publica auctoritate Romanos Consules triumphasse; Modò Romam alteram Triumphum agere, qui divinâ potestate, à summo omnium apice ALBANO proficisceretur.

Umbellam ponè equitantes sequebantur Dertonensis & Viglevanensis Episcopi, ac Generalis Archiepiscopi Vicarius, prima post eundem potestas, doctissimus, selectissimusque J.C. Jo. Carolus Abbas Vanni Lucensis Patritius; Proximè Senatus, Magistratus uterque, Generale Urbis Concilium, Ædiliumque Cætus, Jurisperitorum Collegium, equorum, queis Togati insidebant, dorsualibus ex nigro holoserico villoso, varioque ad jubas ornatu, Urbanorum summatum Equitatu bombycinis distributim strophiolis, omnigenoque

fastu

faſtu emicante , gratum aſpectum præbentibus . Agmen claudebant opificio auroque inſignes Purpurati lecticæ & currus , quorum prior venuſtate pretioque excellens ſingularis pompæ amplitudinem teſtabatur. Hoc procedendi ordine , viamque ingreſſui deſtinatam non intermiſsâ perequitatione diſcurrentibus Regio rerum capitalium Præfecti Comitis Antonii Lucini (qui Senatui eques præſtò aderat) Vicario Marchione Antonio Recalcato, Prætore Don Laurentio Beneche & juſdicentibus in Palatio Prætorio Marco Antonio Crucejo & Alexandro Caſtillioneo, præeuntibus haſtatis, ſtipante ſatellitio, ne quid noxium in tanta confluentium multitudine admitteretur, ſacris omnibus turribus lætos ſonores reddentibus, ut ad propylei Templo maximo præjacentis gradus pervenit Cardinalis, indicantibus Confaloneriis anteceſſorum Præſulum in hujuſmodi celebritatibus conſuetudinem , ex equo deſcendit iiſdem fulcientibus, & quàm celerrimè equum ipſum atque umbellam ad ſe ſe trahentibus vetere majorum more . Illicò deſiluerunt itidem Equites Confalonerii Pontificis lateri ocyſſimè admoti,

qui Senatus ac Magiſtratuum Comitatu inſequente exceptus ab Sacerdotum Collegio Templum introiit.

Archipresbitero Comite Monfrino Caſtillioneo madens luſtrali aquâ aſpergillum porrigente, & ſibi, & Populo ſalutare Crucis ſignum impertitus, ab eodem ſubinde Archipresbitero ternâ thurei ſuffimenti veneratione excultus, Archidiacono ac ſeniore Diacono, ſimulque Abbate Vincentio Philippo, & Juriſperito Conrado Pontificalis amiculi oras ſuſtinentibus, Comite Federico inchoatum deductionis modum continuante, ſubſtitit ante Sacellum Princeps flexo poplite. Tum verò ſupplicationum, proùt moris, exordium præcinit Archipresbiter, reliquum occinit lectiſſimus muſicorum chorus. Hiſce tranſactis, ſolito Confaloneriorum Triumviratu deducente, Principem ipſam aram tenuit Cardinalis, cui Comes Federicus; Placeat, inquit, Eminentiæ Veſtræ Altaris hujus poſſeſſionem nanciſci. Aræ medium ilicèt oſculatus Cardinalis, dextero deinceps & lævo lateri, Comite Federico eaſdem voces ingeminate, repetita oſcula in amplectentis ſpeciem defixit,

xit, atque indidem ad Pontificale Solium tetendit. Iterùm affatur ibi Cardinalem Comes Confalonerius; Non gravetur Eminentia Vestra Sanctam hanc Sellam possidere; Seditque Cardinalis, & consuetum suscepit à provolutis in genua Confaloneriis fidelitatis juramentum, quos dehinc sacrum dactylium deosculatos ad purpureo instructum stragulo assurgentibus à tergo fulcris aptatum subsellium deduxit cæremoniarum Magister, ut considerent. Archiepiscopalis mox Curiæ à Secretis (Cancellarium vocitant) tanti Principis Administer dignissimus J. C. Carolus Bazetta clarâ, ut universum auditorium intelligeret, voce Apostolicas collatæ Pontificiæ dignitatis literas recitavit. Tum verò Supremum in Mediolanensi Dominio Cancellarium Briniani Pagatianique Toparcham, Castri Spinei ac Burgi Ratti Dynastam atque in Sanctiore Cæsaris Augusti Consistorio Consiliarium Eminentissimi Purpurati Affinem Marchionem Pirrhum Vicecomitem prævio humanissimo invitamento intrà Odæi Clathra deduxit Rituum Præfectus. Avidissimè opperiebantur quotquot ità proximi consistebant ut

potis

potis foret audire, quid Prædecessorum more dicturus esset eruditissimus disertissimusque & numeris omnibus absolutus Excellentissimus Demarchus, cujus ingenii apex, exquisitissimæ latinitatis peritia, rara facundia, Regiminis simulque juris Prudentia, atque in amænioribus æquè ac sublimioribus literis præstantia latebat neminem. Spei atque expectationi respondit ornatissima & succo plena eximii sanè Oratoris dissertatio, qui cum primùm in genua procumbens Deum adorasset, assurgens atque ad Cardinalem conversus hisce nominatim verbis effatus est.

EXpleto per virtutem tempore, emensis per ingentia promerita gradibus, EMINENTISSIME ANTISTES, hanc Sedem tenes. Salus populi ad tutelam, non TE fata vocant ad moderamen. Te, qui præclarissimæ stirpis germen florescens festinata ubertate fœcundas: Cujus avitam nobilitatem probitas morum adauget: cui REGNANS INNOCENTIA pietatem dedit, et NOMEN: quem Civium vota exoptarunt: ex quo religio auspicatur sibi incrementa! O fœ-

lix

lix Majorum tuorum imago, et decus! Collegisti paternas animi dotes, parentum ornamenta. Italia tuas ingenii vires, Sarmatia mentis fertilitatem indicarunt (Tribunal, & Aula, Gloria, & Experimentum). Vndique insignis ES doctrina, et cultu. Mirum igitur non est si devicto Cælo ex TE, pro TE, et TVIS affluunt BENEDICTIONES. Non ultra. Habes in corde populorum panegyrim.

Non ego inducere studeam, EMINENTISSIME PRÆSVL, Tuam erga IVRA IMPERII propensionem, ubi tot clementiæ pignora in Augusta Munificentia, ubi tot amoris experimenta in Tua animi adhæsione Fama celebravit: Mutuas hasce voluntates venerari potiùs, quam suadere fas est. Scit Cæsar quid Deo: Scis Ipse quid Cæsari. Hæsitandum non est, adstipulante fœdus perpetuum fide. Nihil ergo à TE desiderandum, nisi Te immortalem habendum. Si tandem Vrbis nostræ fœlicitatem utilitas terrarum Orbis eripiat, et TE ad suprema Limina SANCTITAS PATRVI ferat emeritum, Tunc liceat præ lætitia erumpere, geminatisque vocibus evulgare. Si Roma Te dedit, et Roma Te auferat, Decreta Dei, in cujus nomi-

ne venis, obsequia hominum, quorum beneficio discedes, TE volunt BENEDICTVM. Par erit dignitas, impar ubique laus.

A Sapientissimo omnibusque fastigiis Eminentissimo Principe in hunc planè modum responsum est

SOlemnes gratulationes, aliaque effusæ lætitiæ argumenta, quibus nobilissima hæc Vrbs, inclyta Gens, excelsi Ordines meum ad Sedem hanc amplissimam adventum prosequuntur, quæque elegantissima oratio compendio quodam complexa est, quemadmodum et publicæ erga me benevolentiæ, & non levis de me expectationis documentum præseferunt cumulatissimum; ita geminum mihi, et mutui amoris, et singularis in implendo ministerio meo studii debitum imponunt. Facilè quidem mihi erit amori amorem rependere; utinam eadem alacritate præconceptæ de vigilantia, et solicitudine mea spei respondere possim. Confirmat me tamen summa Optimi æquè, ac Augustissimi Imperatoris, et Regis nostri Catholici, sub cujus felici dominatione vivimus, Religio, ac perspecta Sapientissimorum Ordinum, à quibus hæc Provincia regitur,


Pie-

Pietas. Hac igitur fretus ſpe in id totis viribus incumbam, ut Grex mihi divina diſpenſatione concreditus juxtà monitum Principis Apoſtolorum, et Deum timeat, et Regem honorificet. Ità profectò fiet, ut quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari firma, et nunquam interrumpenda animorum conſenſione reddantur.

Reverſo ad priſtinam ſedem Supremo Cancellario, Comitante Rituum Magiſtro, ſtans ad Evangelii latus Diaconus Triumphalem brevi præcentione hymnum auſpicatus eſt, quem alternantes muſici chori ſuaviſſimè proſecuti ſunt, pacis oſculum intereà Archipræſuli porrigentibus Epiſcopis, Templi ejuſdem Beneficiariis, aliarumque Collegiis eminentium Eccleſiarum Præpoſitis, Senatu, Magiſtratibus, Generali Urbis Concilio, Ædilium Cœtu, Juriſperitorum Collegio, & Familia Confaloneria. Aliis ſubindè effuſis de more ſupplicationibus, ac triplici benedictionis paſtorali ſigno univerſis explicito, Pontificales dimiſit amictus Cardinalis, prodiitque ad Supremum Cancellarium, ad Senatus & Magiſtratuum Præſides, ad Urbis Præfectum, acceptas referens gratias, factoque digreſſionis invitamento: alterniſque

Urbanitatis vicibus ritè abſolutis, antegrediente maximi Templi Canonicorum Collegio, & frequenti Procerum aulicorumque manu, deducentibus jugiter Confaloneriis per crypticum callem in Archiepiſcopales ædes divertit; Deſiitque palàm celebratus, in omnium tamen animis perennaturus AMORIS veriùs TRIUMPHUS quàm Pompæ, ut Amantiſſimo Parenti Optimo, haùd aliam quàm mutui amoris magnificentiam ac pompam diſcupienti, cordis voce, ac filiali obſervantiâ plaudere par ſit juxtà illud.

Hæc tibi Magnificus Pompa Triumphus erit.



INDEX
Rerum memorabilium.

A

B

C

rioni-

Eun-

D

Me-

F

G

H

Emi-

L

M

Comes

N

Mar-

O

P

Ejuſ-

Q

R

ferat

T

V

Mar-

Ejus



	ERRATA.	CORRECTIONES.
fol. 1. lin. 2.	Hierarcas	Hierarchas
fol. 2. lin. 10.	epigraphycis	Epigraphicis
ibid. lin. 15.	Ermes	Hermes
fol. 8. lin. 20.	*Patri*	*Patriæ*
fol. 11. lin. 16.	Tronum	Thronum
fol. 13. lin. 7.	fanalibus	funalibus
fol. 26. lin. 3.	patrium in oſtro	patrium præſeferret in oſtro
fol. 29. lin. 11.	Poſtridie Idus	Poſtridie Non.
fol. 45. lin. 13.	ſtilobatas	ſtylobatas
fol. 46. lin. 14.	debet	dabat
fol. 51. lin. 6.	tropheum	trophæum
fol. 57. lin. pen.	collucutum	collocutum
fol. 58. lin. 21.	Ceremoniarum	Cæremoniarum
fol. 76. lin. pen.	ingeminate	ingeminante

Apiculorum, commatum, interpunctionum defectui, aliiſque typographicis erratis obviàm fiet diſcreti Lectoris prudentia.